ula
is

D. II. 44

Ex donaõe Praenobilis Dn̄i ab Oelrenberg jure
me possidet Christianus Casimirus Rise.
Aõ 1697. d. 8. Septembris

REGVLÆ IVRIS
&
Loci communes forenses;

Quorum

De Iure & praxi communi, tritus & versatus in foro vsus, & allegatio.

AVTHORE
Stanislao Lochowski Castri Opoczneń. Notario.

Accessit ad usum M Andreae Srafatko wi... 1652

Illa Respub: sola est ordinata, quæ legibus regulatis, lege Diuina gubernatur.

CRACOVIÆ.

Ex Officina Francisci Cæsarij. Anno 1644.

Ertdum Camald. C. M. C. in Insula Wigrensi ex Legato F. Agathangeli:

In Republica bene inſtituta, ſuprema authoritas legibus eſt deferenda.

In rebus humanis ſummum bonum eſt Iuſtitiam colere, & vnicuique Iura ſua ſeruare.

Præclariſsimo ac Generoſo
Viro,

D. CRISTINO DVNIN
De Skrzyn
KARWICKI,
In Kárwice &c. Hæredi,

DOMINO ET FAVTORI
Ampliſſimo.

COgitanti mihi iam dudum, tibi gentis nobiliſſimæ Vir, ab exteris nationibus & peregrinis oris, quas excolendi animi gratia peragraſti, ad Lares patrios, alitibus ſecundis reduci, quidnam potiſſimum grati animi teſtificationis, & fauſti reditus congra-

tulationis gratia offerram? occurrit in mentem, aliquid è fontibus & meditullio Iuris ac legum patriæ selectum depromere: Nihil quippè tota vita mihi fuit antiquius, nil dulcius, iucundiusué, quàm studium Iuris & æqui: Facultas me hercule longè omnium pulcherrima, vtilis, necessaria, quam ego duplicem esse reor: Alteram contemplatiuam, animis Iurisconsultorum, Consiliariorum, Iudicum, Scribarum, ac aliorum Iurisprudentiæ candidatorum, insitam: Alteram practicam, quæ est in praxi, patronis Causarum, oratione splendida & luculenta, causas in foro dicentibus, vi vocis, consilij, & præstando debito iure experientibus patrocinio pollentibus, & ad

respon-

reſpondendum, & ad agendum paratis, frequentatiuam: Vtramq́ tamen nonniſi in ipſo parari & acquiri foro. Offero itaq́ Regulas Iuris, & Topica, ſeu Locos communes forenſes, quibus Curia, fora, & ſubſelia perpetuò reſonant: Addita ſunt præterea, ad vſum quotidianum & exercitationem in Iure tyronum gratia conuenientia rudimenta, & Apophtegmata præmiſſis admodum conſona lectu porrò digniſſima. Accipias igitur Vir excellentiſſime, qui ad faſtigium honoris & virtutum ſummoperè contendis, de æquo iure diſertè & prudenti pectore diſſeris, conſilijſq́ polles, benigno animo, quod Minerua tenuis, ætas maturior, oculi multa lectione & ſtyllo fra-

Præfatio.

Eti, partim auribus percepta, partim è diuersis eruta libris coagmentârunt, ad compendium reduxerunt, meq́ pristino solito tuo fauore prosequere, & beneuolentia. Datum Miedziborea X. Mensis Nouembris, Anno Domini M. DC. XXX VI.

Generosæ D. Tuæ

studiosissimus

Stanislaus Łochowski
Castri Opocznen.
Notarius.

REGVLÆ IVRIS & LOCI COMMVNES.

A

ACtor ſequitur forum rei.

Actor ſemper debet eſſe paratus.

Actori ſemper eſt Terminus peremptorius.

Actor quod aſſerit probet.

Actore non probante, reus abſoluitur.

Actore ſeſe ad comprobandum trahente, reo verò ſimpliciter negante, propior Actor ad probandum, ſed ſi reus euadere voluerit, propior eſt ad euadendum: exceptis cauſis, in quibus Actori ex præſcripto Iuris cedit probatio.

Actor Iuramentum & probationem Iuratoriam ſibi à Citato delatam, neceſſario acceptare & Iuramentum delatum præſtare tenetur, illud porrò ab Actore contra Citatum non reciprocatur.

Actore abſente in Criminalibus Actionibus non iudicetur.

Actoribus diuerſis duobus pluribuſuè pro

 vna

vna & eadem re, siue summa pecuniaria; vnoq; & eodem Termino concurrentibus, nemo respondere tenetur, donec inter se iure experiantur.

Actor interceptor actionis reijcitur.

Actoris arma actiones, Citati verò exceptiones, ab vtrinq; egent probationibus.

Actor agens pro limitibus, insimulq; pro iniurijs fundo annexis, si ipse petat suspensionem causæ ad determinationem limitum seu granicierum, nō debet scribi Clausula, agat sine intermissione: sed si Citatus agat pro limitibus, fueritq; ex aduerso pro iniuria fundi iure conuentus, fieri debet suspensio causæ illius pro iniuria controuersa ad determinationem granicierum: Nihilominus agat pars Citata pro limitibus sine intermissione, debet ista Clausula poni.

Actor causam non continuans anno & sex septimanis causa cadit.

Actori licet quod & reo, præter simplicis infirmitatis dilationem.

Actionum genus duplex, Criminale, & Ciuile. Porrò actionum Ciuilium Terrestrium, aliæ sunt Reales vt potè fundi & quæstionis hæ-

nis hæreditariæ: Aliæ personales, quæ in personas vergunt & eas afficiunt, puta vulnerum, carcerum, turpiloquij, & id genus personalium iniuriarum. Aliæ superficiales, vt pote simplicium iniuriarum.

Actio quælibet, in cuius propositione Citationeué Taxa continetur, non est Criminalis, verùm Ciuilis.

Actiones finium regundorum Herciscundæ familiæ, redemptionis bonorum, euasione non sistuntur: Idem de actionibus ad Inscriptionem & in Exequutione rei iudicatæ versantibus censendum est.

Arbitrale Iudicium est priuatum ex Iure Cōpromissi oriens, cuius supremus Iudex Superarbiter, ab eo nulla datur prouocatio.

Actio mentalis dicta, quod in mente seu voluntate versetur, in qua propior Citatus iuramento Crimen obiectum Conniuentiæ, iussus, consensus, mandati, voluntatis, & auxilij diluere, quia Deus scrutator cordium, quæ in animo consistunt, solo iuramento purgantur.

Actio de nouo emergenti in Comitijs Regni Generalibus decidatur.

Actio actionem non retardat, nec perimit.

Allegationem ſuam Citatus probare tenetur, quia Actor eſt allegationis ſuæ.

Allegationes Iuris externi non admittuntur.

Ab acceſſorio motio non eſt admittenda, niſi ſit tale, quod lucrum vel amiſſionem cauſæ ſapiat.

» Appellans ſeu mouens, ab acceſſorio proce-
» dat ibidem in principali, in vltimæ inſtan-
» tiæ ſubſellio.

A Decretis in acceſſorijs latis Citati ſoluant, quamuis contra illos proferantur.

Appellans Citatus appellationem reuocare ſeu ab admiſſa per adcitationem (quod Actori eſt liberum) recedere nequit.

A qua ſententia non fuerit prouocatum, ſeu appellatum, tranſit in rem iudicatam.

Ad abiudicata non datur regreſſus.

Ad impoſſibilia nemo obligatur.

Abuſu iura euaneſcunt.

Aduitalitium Ius vxoris non poteſt ſeſe extendere, niſi ad ea bona, quæ erant in poſſeſſione ſui mariti.

Aduitalitas mutua coniugum, eſt mutuum & reciprocum beneficium: Ideo lex & conditio vxori de ſecundo voto & nuptijs præmortuo marito non appetendis impo-

ſita,

ſita, & vltra forma Iuris adiecta, in caſſum abit & eſt irrita.
Aduitalitatem qui transfert, amittit eam, Ius ſiquidem perſonale.
Appellatio non admittitur in Cauſis.
Prima, Ratione iniquè extorti Telonei,
Altera, Ratione Adminiſtrationis Iuſtitiæ
Tertia, Exemptionis bonorum niſiſi æreditas prætendatur,
Quarta, Ad inſcriptionem tanquam Priuilegiata, & in exequutione rei iudicatæ, quæ æquipollet Priuilegio, actionibus.
In cauſa quoq; eliberationis captiui appellatio prohibita.
Aſſiſtentia Domini ſubdito neceſſaria in Citationibus ad ſui inſtantiam editis, Ciuibus Regiarum Ciuitatum non neceſſaria.
Abrenunciatio ſucceſſionis debet eſſe perſonalis cum Iuramento, quod ſucceſſionem bonorum non participauit, non tenet, nec participare & tenere vult, ſperatque imò ſucceſſioni abrenunciat in perpetuum.
Abrenunciatio debet ſpectare præterea, præſentia, & futura.
Alienare bona ſua poſſunt ſteriles.
Adcitatio poſt mortem Regiam & Iudicum non

non est necessaria, nisi aliqua persona ex litigantibus mortua, stante lite.

Arestum eadem die qua Iudicia tractantur ad horam vigesimam tertiam cuiuslibet condemnationis in Contumaciam currit, nisi Iudicia eadem die determinētur, postridie dum fuerit condemnatio pernoctata, aut Iudicia finita & reclamata fuerint, nullatenus admittitur.

Arestari possessionata pecunia non potest.

Armis non opus est, Iure agere volentibus. Considerati hominis est iure decertare, armis non contendere.

Ab amicis iusta petenda.

Acta nemini denegaenda.

B

BAnnitis & proscriptis Iura nō suffragātur.

Bannitos & proscriptos Capitanei in Curijs nobilium inuitis dominis non capiant, qui tametsi ad capiendum consenserint, id citra eorum damnum omne fiat.

Bannitum capi Nobilis nō admittens citetur.

Bannitum Capitaneo in omnibus locis alijs licet capere, in turrim conijcere, detinere,

vsque

vſque ad ſatisfactionem, quod & ipſi Actori iureuincenti integrum eſſe debet; qui captum Capitaneo præſentabit.

Bannitos qui domi ſuæ ſeruant, fouent, vel eis ſunt conſilio, auxilio, cum eiſq; in Iuris communis leuipendium communicant, conuerſantur, clam vel palàm eis patrocinantur, auxilium præbent, ad Iudicium Capitaneale pro complicitate citandi ſunt, ſalua Citato euaſione Iuratoria permanẽte.

Bannito ſi cum parte iureuincente tranſigat, & quietetur, Relaxatione Bannitionis ex Cancellaria Sacræ Maieſtatis Regiæ opus eſt. Caſſatio Tribunalitia eiuſdem eſt valoris & momenti.

Bannito per ſententiam deffinitiuam in Tribunali Regni à bannitione liberato, relaxatio minùs neceſſaria.

Banniti infra duodecem ſeptimanas ab obtenta bannitione locum ſtandi, tranſactiones cum parte Iureuincẽte tentandi, componendi, Inſcriptiones ad id negotij faciendi, ſiue ad caſſandam Bannitionem agẽdi facultatem habeant, ita tamen vt infra eaſdem duodecem ſeptimanas, Relationem poſitæ Citationis ad Caſſandam ad A-

cta eiusdem Officij vbi Bannitio obtenta fuerit, statuto Ministeriali referant, eamq; sua personali comparitione subinde approbent.

Bannitio in Contumaciam obtenta, si cuipiam in cursu alicuius causæ obijciatur, probet ibidem in instanti se de ea ac eius termino nesciuisse, Iuramēto corporali, post quod præstitum habebit ibi locum standi, nihilominus ordinaria Iuris via tollat bannitionem, & pro cassanda in Tribunali Regni cum principali Iureuincente agat.

Bannitio in Contumaciam si sit obtenta, poterit Bannitus Capitaneo eo, vbi promulgata est, & parte Iureuincēte tanquam eius adhærente ad Tribunal Regni citatis, ea sæse Iuris medijs, hoc est, vel malè obtento processu probato, vel per euasionem Iuratoriam super ignorantiam processus, vel per satisfactionem liberare, etiamsi sublevationem à Sacra Maiestate Regia non impetret, Relatione nihilominus positæ Citationis ad cassandam modo quo præmissum est personaliter approbata. Infamibus attamen ad cassandam infamiam agentibus literis Saluiconductus Sacræ Maiesta-

tis Regiæ opus eſt, ac eius in quantum infra ſex menſes tolli non poſſit infamia, prorogatione.

Banniti caput (nè dicam infamis,) tanquam Iure priuati & exlegis, in vindictam legis impunè abit, & Iure vindicari non poteſt.

Bannitio obtenta non promulgata, id eſt voce Miniſterialis non publicata, nihil valet donec publicetur.

Belli & litis iudiciariæ incerti euentus.

Bona Terreſtria hærede vacua non cenſentur quamdiu ſucceſſor ad octauum vſque gradum incluſiuè ex vtraque linea probari poterit.

Bona ſpiritualia non poſſunt onerari perlucris ex ſimplici iniuria emanatis, tanquam bona Reipub. ſed à ſucceſſoribus de bonis Terreſtribus ſi quæ ſupererunt repetantur: de bonis Regalibus idem ſentiendum.

Bona ante reformationem & aduitalitatem obligata, vxor poſt maritũ derelicta, nonniſi per viam exemptionis vindicare poteſt, quæ verò poſteriùs fuerint innodata, medietatem potioritate Iuris reformatorij vindicabit: Alteram verò medietatem vigore Iuris ſui aduitalitij eximet.

Bo

Bona Iure Caduco ad Fiscū Sacræ Maiestatis Regiæ deuoluta, à sua Maiestate alijs Nobilibus, ne diminutio bonorum Terrestrium fiat, conferãtur; é quibus collatis ante omnia debita contracta Creditoribus per donatarios exoluantur.

Bona Ecclesiastica absque causis iustis probabiliter, specificè, & authenticè expressis, & sine consensu horum quorum interest, non alienentur; Alienata Iure Terrestri recuperentur. Idem de bonis ritus Græci censendum.

Beatus est nemo qui sine lege viuit.

C

CAusa cadit, qui non probat id, quod probaturum se receperat.

Capitanei non in priuatis, sed consuetis ac publicis locis iudicabunt, sub nullitate Iudicij.

Capitanei vltra quatuor articulos (puta Criminales) id est inuasionis domus, violationis & oppressionis fæminarum, dispercussionis & deprædationis viæ publicæ, ac incendij, non iudicent: etiamsi quis extra

forum

ſorum non comparuerit, vel per ignorantiam iuriſdictionem Capitanei prorogauerit, Iudicium nullum eſto,

Capitanei non excedant modum defenſionis bonorum Regalium, conculcatione ſegetum, deſtructione & demolitione ædificiorum, quæ per vnum annum ſine eius contradictione ſteterunt.

Capitaneus pro particula fundi non iudicet.

Capitaneis, ſeu eorum Officijs Caſtrenſibus exequutio perlucrorum & Decretorum ſuperioris ſubſellij incumbit,

Capitanei infames capiant & capite plectant.

Capitanei eliberationem Captiui ex carceribus priuatis, pæna Bannitionis interpoſita citra quamuis appellationem decernant.

Capitaneorum negligentium in ſuo officio pæna centum Marcarum.

Capitanei vel Tenutarij bonorum Regalium limites per Commiſſarios erectos diſſipantes, pænam quingentarum Marcarum luant, & proprijs ſumptibus limites reſtaurent. Subditi verò Regij iuuito & inſcio Capitaneo id facientes, pæna quinquaginta Marcarum puniantur, nihilominus ſumptu eorum Capitaneus limites reſtauret.

Capitaneus iniuriosus in Iure Terrestri vbi bona ipsa Regalia sita sunt, respondeat, si possessionem eo in districtu non habuerit, exequutio fiat in bonis eius vbicunque ea habuerit. Contra verò possessionatum, procedatur Iure impossessionatorum: Sin autem summas super Tenuta habuerit pecuniarias, in summis extendatur processus Iuris & exequutio. Si bona controuersa limites non habeant, decernatur vt Nobilis sine intermissione Commissionem educat. Post Commissorialem dislimitationem, Nobilis vicinus fundos Regales sibi vsurpans, Iure Terrestri conueniatur, vbi Iudicium Terrestre vel ipsum exire, vel Camerarios Terrestres iuratos cum Ministeriali eò destinatos mittere, & ex re oculis subiecta sententiam ferre, damnaque passo satisfactionem decernere debet.

Commissoriales Actus per integrum numerum Commissariorum peracti & absoluti in dubium non vocentur, & Citationes ad conuellendum editæ irritæ. In actu Commissoriali nullæ dilationes, quia vnius temporis actus, nullæ appellationes, quia absolutum Iudicium admittuntur.

Com-

Commiſſiones non Capitanei, ſed Nobiles obtineant, & Commiſſarios educant, ſine intermiſſione. In Commiſſoriali actu tam Capitaneo, quàm Nobili non plures perſonæ aſſiſtant, quàm triginta, cum amicis & ſeruis, ſubditorum verò viginti propter oſtendenda ſigna.

Commiſſarij ne periuria fiant, ante omnia ſigna per ſenes oſtenſa videant, ſenum conſcientiam examinent, eos qui potiora ſigna oſtenderint, ad probandum admittant, vel dubijs ſignis moderentur, & negotium limitum moderatione definiant.

Cauſa poſt mortuum moritur, niſi ſit per adcitationem reuiuificata & reſuſcitata.

Creſcente contumacia, creſcit pæna.

Citationem error abecedarius ſeu alphabeticus non vitiat.

Citatio inſufficiens ſex Scotorum mulcta corrigitur. In Citatione verba criminalia & honorem tangentia non ponantur, nec inſerantur, ſub pæna ſeſſionis turris vnius ſeptimanæ.

Citatio expectat Terminum ſeu Terminos, non è contra Terminus vel Termini Citationem.

Citationes apud quæuis ſubſellia non aliter oppugnantur, niſi in quibus res aut iniuria nominatim & expreſſè, Nomen proprium, Titulus, & Data non fuerit expreſſa & deſcripta.

Captiuis præſcriptio non nocet.

Caput matris filio illegitimo ſoluendum eſt.

Camerarius campeſtris Granicialis non fundata Iuriſdictione, videtur eſſe priuatus; fundatio verò Iuriſdictionis nihil addit, nec minuit Iuris, quia fundatur nullius partium Iure læſo.

Complex Banniti non cenſetur, qui Iure ſuo bona banniti tenet, pro potioritate Iuris cum eo agendum eſt.

Complex in cauſis Criminalibus ſequitur naturam ſui principalis, & reſpondere non tenetur, niſi prius ſuus conueniatur principalis.

Complex propior ad euadendum, vbi tamen ſtudioſa præſentaneaq́; complicitas ex ſcrutinijs apparuerit, ad eaſdem vt ſuus principalis condemnatur pœnas, & conuictio ſuper eo decernitur. In cauſis tamen ratione cædis & vulnerum ciuiliter intentatis complex euadat, iuxta Statutum veius

pro

pro homicidio accuſetur ſeu conuicatur, cæteri euadant.

Conditio in Inſcriptiones appoſita, omnem limitat legem, & ideo Inſcriptiones perpetuæ non debent eſſe conditionales.

Contumatio & euaſio, in vno & eodem primo termino in alterutrum dum fuerint obtentæ Euaſio tollitur, & Citatus ad contenta Citationis reſpondere tenetur.

Conſtitutiones Regni nouæ, non reſpiciunt præterita, ſed tantummodo futura, à ſui namq; publicatione vim & robur accipiũt.

Conſtitutiones nouæ neminem afficiunt niſi publicentur.

Crimen ſeu criminalis actio, quoad reatum, cum perſona extinguitur, ſucceſſor in criminalibus reſpondere non tenetur, pro damnis tamen circa violentiam per ſuum anteceſſorem illatis, nec non pro mulcta pecuniaria capitis cæſi, ſatisfacere tenetur, reſpectu bonorum quæ participat.

Cmetho pro rebus in controuerſo loco receptis agere non poteſt, quia actio hæreditaria, eſt iuxta Statutum de retibus.

Cmetho fugitiuus vbique Iure Polonico repetatur, ſine dilatione, excepta vera infirmitate.

Communitati alicuius Ciuitatis dum fuerit intentata actio, ſi decernatur ſibi probatio ſeu euaſio iuratoria, non tota Communitas, ſed Proconſul cum duobus Conſulibus eam præſtare tenentur.

Contractus perſonalis vel Priuilegium perſonale non referens ſe in ſuis punctis ad ſucceſſores, extinguitur ſemper cum perſona.

Contractus non firmati vadijs pro voto partium ſemper reſcindi poſſunt ſine quauis pæna.

Contractus verbales ratione fundi, vt potè emptionis bonorum non procedunt.

Contractus perſonalis moritur ſimul cum perſona contrahentis.

Contractus Empitheoticus do vt des, facio vt facias.

Citatio triplex, Literalis per ſcriptam Citationem, verbalis per terminum tactum, realis cum reus in crimine recenti deprehenſus rapitur & præſentatur ad iudicium.

Cum laruis luctari ſignificat contra mortuum actionem proſequi.

Clara pacta claros faciunt amicos.

Celeritas inimica Iudicio.

Confeſſus in Iudicio victus habetur.

Vbi

Vbi adeſt Citati confeſſio, non eſt neceſſaria Actoris probatio.
Cenſus perpetui ſolo annexi poſſeſſores afficiunt, & ſub euictionem niſi ſpecialiter caueantur, non cadunt. Si aliquis pendente pro aliqua iniuria actione, noua ſimili afficiatur, poterit mentione prioris in Citatione facta poſteriorem iure vindicare; hoc adiecto, quod denuò ſtante ratione prioris citatione, nec dum cauſa deciſa, facta ſit, vel ſi multiplicetur, poſito in plurali ſtantibus citationibus & cauſis nec dum determinatis.
Cauſa vbi cæpta eſt, ibi finiri debet.
Complicitatis bannitionis ratione, actio non datur marito, ratione vxoris, & è contra, nec patri filij & è contra ratione, quos enim Ius Diuinum non dirimit, Ius politicum ſeu ſeculare non poteſt dirimere.
Giues in tribus caſibus in Iudicio Terreſtri reſpondere tenentur, pro cæde & vulneribus per cauſam adminiſtrandæ Iuſtitiæ, de Conciue cædis, & vulnerum inculpato, pro profugo Cmethone, & limitibus. In Ciuitatibus pro vulneribus & homicidijs Nobilium eorumq́; ſubditorum ius Terre-

ſtre, non autem Ciuile ſeruetur & dicatur, ſub pæna 14 Marcarum iure Terreſtri repetent.
Caducum Ius impetrans, & non probans, damna refundat, obiectam illegitimitatem & non probatam reuocet.
Cuilibet licet iure proſequi ſuam Iniuriam.
Conſilium rem præcurrat.
Conſilium malum, conſultori peſſimum.
Caſus & cauſæ, quæ non ſunt legibus definitæ, regula æquitatis finiuntur.
Calumnia conturbat etiam ſapientem.
Conſcientia mille teſtes.
Cùm alicui in cauſa ciuili, quod calumiosê citauerit, obijciatur, proprior Actor iuxta Statutum de viro bonæ famæ ad probanda citationis ſuæ contenta.
Criminor te, criminor à te.
Cuius eſt concedere, illius interpretari.
Cauſa materialis cuiuslibet actionis, eſt materia circa quam verſatur: Res videlicet quæ iure petitur & euincitur: Formalis forum & forenſes circumſtantiæ: Efficiens Actor & reus: Finalis deſiderium agentis, petiti adiudicatum, ipſiusque cauſæ euentus.

Diuiſio

D

Diuiſio inter fratres per amicos facta, triennio & trimeſtri ratificatur.
Diuiſionis cauſa Caſtrenſis eſt.
Dotes non inſcriptæ, nullæ ſint.
Indotatæ mulieri Crinile Triginta Marcarum ſoluatur.
Dotalicia fuga vel crimine viri, non vitiantur.
Dote ſorores, ſi fratres germanos habeant, ſint contente, vbi non habuerint ipſæ hæreditent.
Dotem ſorori ſuæ indotatæ aſſignent fratres, infra vnū annum poſt mortem paternam, ex conſilio duorum de paterna, duorum verò materna linea, amicorum conſanguineorum, quam aſſignatam infra annum poſt deſponſationem ſorori ſoluant, vel ſortem bonorum exdiuidant: Interim ad deſponſationem honeſtam ei dent educationem: forum pro præmiſſis in officio Caſtrenſi.
Dotari debent ſorores & amitæ indotatæ, per creditores ſeu poſſeſſores bonorum de bonis per fratres vel nepotes in oneratis ſeu a-

 lienatis,

lienatis, qua in re Creditor seu possessor ad euictorem non prouocet: saluo Iure contra Euictorem sibi reseruato: ijs autem quæ non nupserunt infra anni decursum post elocationem in matrimonium dent dotem, inscriptis dotibus saluis. Idem censendum de prouisione à dote, quam Creditor seu possessor virgini pendere tenetur. Forum in officio Castrensi Creditori tàm pro dote quàm prouisione. Assignata dos à patre vel exemplum ex dotatæ senioris filiæ per patrē, in dotis solutione, præcipuum obtinent locum, nec Taxa amicabili dotis opus est.

Domina dotalis tantum, non tenetur soluere debita mariti, sed soluant successores, qui succedūt Iure hæreditario in bona paterna.

Domina dotalis dotem habens & dotalitium Iure reformationis inscripta, non est exemptibilis, tantisper donec statum vidualem post maritum seruauerit, & non mutauerit: ad secunda vota & nuptias conuolans, exemptioni subest, contradote cautione per Nobilem eiusdem Terræ possessionatum assecurata.

Domina dotalis in bonis Iureuicti priorem habens

habens reformationem præ Iure creditorum in possessione bonorum reformatoriorum conseruetur: Ea moriente hæredes & successores eius exemptioni Creditorum subiacebunt. Eadem secundo nubens, à successoribus vel Creditoribus est in exemptione.

Domina habens duas reformationes, prius & posterius recognitas, liberum erit ei quà velit eligere, & circa eam perseuerare.

Domina reformatoria non potest agere ad ligamenta inscriptionis mariti sui in foro Castrensi, quia ea tantum successoribus seruiunt, conueniat Iure Terrestri.

Domina aduitalis tenetur debita per maritum contracta, ea verò tantum inscripta, in vim emundationis aduitalitatis suæ soluere, ita tamen vt successores mariti cum ipsa insimul citentur, successor tamen eius non prius cedet bonis eà defuncta, quam sibi summa illa restituatur, quam restitutionem circa persolutionem ex Decreto prestitam, Domina sibi cauere & transfusionem Iuris à Creditore in sui personam obtinere debet.

Domina aduitalis si cedat alicui Iure suo aduitalitio

uitalitio (excepto quod id fiat per arendam) Ius suum aduitalitium amittit, & successoribus ad ea bona lata sternitur via.

Dos & dotalitiũ testamento legari nequeunt.

Dos vnde venit eó redire debet.

Dilatio simplicis infirmitatis erat quondam in vsu, præcipuè in causa administrandæ Iustitiæ, nunc abolita, excepta sola actione in Iure Terrestri ratione turpiloquij & improperij.

Dilatio ad munimenta causæ necessaria vtrique parti conceditur, ea tamen Citatis in Iudicio Terrestri in causis simplicium iniuriarum cædis & sanguinis non admittitur, præterquam dilatio ad munimenta specificata causam perimentia, quæ etiam in causa expulsionis sola locum habet dilatio.

Dilatio visionis non datur in causis simplicium iniuriarum, & laboris proprij tantum hæreditarijs fundi, seu fundum tangentibus quæ ex re oculis subiecta per modum demonstrationis dignóscuntur.

Dilatio veræ infirmitatis beneficium est Iuris, quod infirmitate affecto Citato adeo, vt Iudicium sua in persona adire non valeat,

opitu-

opitulatur. Hæc tamen nonnisi in actione personali & actu præstandi Iuramentum ceu personali, actionibusq; Criminalibus Conuentionalibus, idq; pro vna tantum vice per Nobilem eiusdem terræ possessionatum recepta conceditur dilatio. Sub genus infirmitatis referũtur Legalia impedimenta, vt potè Aquarum inundationes, fracturæ pontium, incendia, pestis insultus hostium vel latronum, carcer publicus & priuatus, ac alia huiusmodi.

Dilatione veræ infirmitatis, prout & alijs vni litis comparticipum concessa, fit cum cæteris causæ suspensio.

Dilatio minorennitatis, fauendo puerili Iuris imperatæ ætati, Masculo ad annum à natiuitate sua computando quindecimum, Fæmellæ verò duodecimum conceditur: Exceptis certis causis inferius specificatis, in quibus non habita pueritiæ ratione pueri per Tutores suos respondere tenentur.

Dilationis ad Euictorem ex munimentis apparentem & probatum conueniendum, præcipuus in Causis Terrestribus ratione occupationis bonorum est vsus, datur ad Terminos per Terminos, dotis & potiori-

catis

tatis causis exceptis: Conceditur'q; iterum atq; iterum vlterior conueniendi Euictoris dilatio, si constiterit, ac deductũ fuerit agi sine intermissione cum euictore, nullaq; admittatur in agendo mora & conniuẽtia.

Dilatio Maioris seu pro maiori, differtur hac dilatione per nuncium, licet impossessionatum, Terminus, allegantem principalem Citatum habere in alio Iudicio officiouè eadem ipsa die actionem pro maiori summa, taxa, vel vadio quod nisi authenticè probauerit, vel actus maioris cum specificatis in dilatione circumstantijs non conuenerit, causa cadit Citatus.

Dilatio ad docendum de termino, deductionem processus, Inscriptionis, Decretorum, & actuum quorumuis iuridicorum, Actoribus quibus licet Causam suam protrahere, semper libera.

Dilatio ad producendam quietationem semper concedenda, quauis in causa: Moris tamen est recepti loco quietationis productæ, posse summam pro qua res est, in instanti solui & reponi: Et ea ipsa sola in causis ad inscriptionem habet locum ad proximos duntaxat Terminos dilatio.

Debitum teſtamento recognitum pro inſcripto cenſeri debet, cum Teſtamentum non inficiatur, ſed agnoſcitur.

Debitum chirographo contractum, reus poteſt euadere. quod videlicet ſolutum debitum, & chirographum retentum.

Debitum verbotenus contractum ſimpliciter iuramento proprio Citatus euadere poteſt ſine quauis controuerſia, ſi non excedat Marcas triginta ſoluſmet: ſi exceſſerit, mettertius.

Dominus de ſeruo Nobili iuſtitiam adminiſtrare non tenetur, reſpectu paritatis conditionis, verùm ſeruus Nobilis poſſeſſionatus tãquam poſſeſſionatus; impoſſeſſionatus verò tanquam impoſſeſſionatus conueniendus, atque ideò ſeruo Nobili non eſt neceſſaria Domini aſſiſtentia, in ſuo actoratu.

Deuolutionem futuram nemo donare poteſt, qui donatam vult iure lucrari, neceſſe eſt vt illa adueniente, nouam Inſcriptionem à donante obtineat.

Donatio facta ſine euictione, æquipollet Citationi ciuili ſine taxa.

Diffidatio per aliquem alicui facta debet probari

bari atteſtatione Miniſterialis & Nobilium, in defectu, diffidator ſimplici negatiua abſque iuramento euadit.

Diffamare caue, quia reuocare graue.

Damna non ſequuntur cauſam diuiſionis & occupationis bonorum.

Diu delibera, citò fac.

Deliberationi iuſtum dandum temporis ſpacium.

Deliberare eſt mora tutiſſima: Tutiſſimum eſt eſſe lentas conſultationes; nam præcipitata conſilia plerumq́; ſunt inauſpicata.

Deliberandum eſt diu, quot ſtatuendum eſt ſemel, vt in voto ſacerdotij aut matrimonij; & in cauſa ſeu actu ipſo diuiſionis, bis errare non datur.

Domina aduitalis poſt mortem mariti tenetur Inuentarium conſcribere, & iuramento conſcriptum liquidare, rerum poſt maritum derelictarum, harum tantum quæ vſu non conſumuntur.

Domina aduitalis non obſtante minorennitate puerorum hæredum, reſpondere tenenetur pro Cmethone profugo.

E

EVictori cauſa integra tradenda: & ideò dilatio ad conueniendum Euictorem, in nullum certamen Iuris, & controuerſiam deſcendendo, ante omnia peti debet.

Euictorem ſtatuens liberatur, niſi tamen Euictor ſatisfecerit, vel defecerit, principaliter Citatus reſpondeat.

Euictor in Criminalibus actionibus locum non habet.

Expulſionis cauſam iudicat officium Caſtrenſe ad querelam.

Expulſi infra Menſem officium Caſtrenſe adeant, proteſtationem expulſionis ratione ſi volent facturi, & eodem expulſores citent, illud autem Caſtrenſe officium deſcendendo ad bona, ibidem inquiſitionem in fundo bonorum faciat, quis ſit vel fuerit bonorum eorum poſſeſſor? & vtrum expulſio facta eſt? Teſtimonia à Nobilibus ſub conſcientia, à plebeijs perſonis ſub Iuramento excipienda. Citatus ad Munimẽta ſpecificata dilationem habeat, cui cùm non ſatisfecerit, & nihil pro termino ex dilatione attulerit, cauſa cadat.

Ex Inquisitione aut Citato euasio, aut Actori conuictio decernitur, & post conuictionem, decernitur Reintromissio seu Reinductio in bona, per officium idem Castrense, Ministerialem, ac Nobiles, vel Iuratum eiusdem ipsius loci, iuxta consuetudinem Terræ Burgrabium, vadio Capitaneali Centum Viginti Marcarum de non denegando interposito, expedienda. Iudicium Terrestre pro damnis ex ea violenta expulsione emergentibus iudicat, vbi Actor lucrata expulsione in Castro, propior damna taxata Iuramento liquidare.

Expulsio non cōmittitur in particula fundi. Agens pro expulsione, hæc tria ostendere debet, & probare: Titulum Iuris; possessionem, quòd fuerit ante expulsionem immediatus pacificusq; bonorum eorū possessor, & ipsam violentiam facti expulsionem: Titulus Iuris literatorio Instrumento, hæc verò posteriora probantur Inquisitione. In bonis indiuisis, expulsio censeri non potest, neq; dari potest causa expulsionis, sed pro diuisione agendum.

Expulsionis violentæ incusatus, in Termino peremptorio dicens se nullum Ius ad bona ha-

na habere, habuisse, nec velle habere, & ideo actorem non expulisse, proprior ad euadendum, eò quod factum negat, nec alicuius iuris mentionem facit: Causa enim expulsionis est causa facti: sed si aliquam Iuris mentionem facit, Iuraq; ante responsionem producit, Actor ad probandum proprior, hoc enim modo Citatus factum agnoscere videtur. Pro violenta expulsione Citationes ponendæ in bonis expulsis, pro damnis autem in bonis expulsoris proprijs.

Expulsus seu bonis spoliatus ante omnia in possessionem bonorũ restitui debet, Iure vtriusq; partis super actionem petitoriam fundi illæso. In causa expulsionis euasio obtenta in contumaciam Actoris, factum tollit, & non Ius quod ea non obstente seorsiua causa Iureuindicare licet.

Ex causa Ciuili non lucrata, nullæ pœnæ, nulla damna in iure Terrestri sequuntur: Euocationis tantum ex districtu proprio in alienum pœna quatuordecem Marcarum.

Ex causa ciuili criminalem faciens, aut incriminalis causæ probatione deficiens, pœna Talionis videlicet sessionis turris per duo-

decem ſeptimanas, ac ducentarum Marcarum pœna punitur, damnaq; per Citatum iuramento liquidanda, quæcunque comprobauerit, refundere tenetur: vbi tamen Citatus iuramento crimen obiectum diluerit, ea non ſequitur.

Ex Carceribus nemo poteſt cauſam dicere.

Ex ſuſpicionibus nemo damnari debet, ſatiùs eſt impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem damnare.

Ex delatione perſonali Citati, tenetur Actor contenta Citationis ſuæ probare.

Expectatiuam ſapiunt inſcriptiones debitorum, in quibus poſt fata recognoſcentis fit ſolutionis præfixio. Da dum tua ſunt, poſt mortem alterius ſunto.

Exequutio rei iudicatæ per triennium & trimeſtre non continuata euaneſcit.

Exemptio militis à Iudicijs fit exceptis cauſis ad inſcriptiones recentes, non antiquatas: antiquatæ autem ſunt decennales, & pro violentia per illos merè illata.

Huc adde exequutionem rei iudicatæ. Militum vxores eadem gaudet prærogatiua. Hæc lex & ſuum beneficium legatione publica extra Regnum fungentibus ſeruit, & ſeruire debet. Ex-

Extinguens candelam in contentione, vbi interea alter lucerna extincta incerto autore vulneratur; si vulneratus probauerit, se tunc esse vulneratum, neque se scire authorem, extinctor pro vulneribus satisfaciat. Torquetur hæc lex ad occasionem facti datam.

Expeditio generalis bellica cùm hostis potens ingruerit, in Comitijs generalibus laudata contra vim ingruentis fiat.

Expeditioni eidem seu bello literæ restium præmittendæ. Ab ea expeditione nemo liberatur, nisi ægroti, senio confecti, negotia Reipublicæ obeuntes, Tribuni terrarũ, & Vicecapitanei Arcium & Castrorum vbi Iudicia celebrantur, & earum arcium quæ sunt in Regni finibus. Eo annumerantur Burgrabij Arcis Cracouiensis.

Æger qui in bellum ire non potest, Castelano suo seu sui Territorij districtusué præsentetur, & cum quatuor testibus super veram infirmitatem iuret.

Filium vel fratrem indiuisum adultum & armis aptum habens, poterit ad expeditionem sui loco mittere, dummodo ita ipsum expediat, sicut solus ire debuit.

Ab expeditione bellica abſentes pœna capitis, infamiæ, & confiſcationis bonorum puniuntur. Æquum & bonum eſt hoc ius quod ad veritatem & communem vtilitatem videtur pertinere.

Ex æquo & bono rem iudicare oportet.

Expreſſa nocent (alij dicunt) docent, expreſſa nocere non debent.

Erubeſcimus ſine lege loqui, & quod loquimur ſine lege id contra legem eſt.

F

Filius non portabit iniquitatem patris, nec è contra.

Filiorum contractibus patres ſatisfacere non tenentur.

Filij viuente patre proprium non habeant, nec portent ſigillum.

Fiſcus vltimus hæres & poſſeſſor.

Factoris ſemel iurati in exactione Telonei literis credatur.

Fratre ſeniore cauſam perdente, iunior taceat, id tamen de reatu non actoratu intelligendum eſt.

Famulum plebeium ſine literis teſtimonialibus

bus domini sui suscipiens, pæna centum Marcarum in officio Castrensi vindicanda punitur. Famulus tamen absolutis seruitijs literas à domino cum impetrare non possit, protestationem in iudicio Terrestri aut officio Castrensi faciat.

Famulus aliquem circa Dominum vulnerans, non famulus sed Dominus culpandus est. Inculpatus Nobilis iuxta Statutum dictum Ostrogi, quod eius voluntate, scitu, & mandato, per seruos suos iniuria vel damnum factum fuerit, tenetur iustitiam de seruis administrare, si apud ipsum arrestati fuerint, si arrestati non fuerint, non amplius respondebit, quam de ijs quæ ad violationis domus, personæ inuasionem, vel alicuius Nobilis necem aut vulnera attinent: De alijs verò iniurijs, puta percussionis aut vulnerationis plebei, frugum depastionis, conculcationis & similium, dominus quidem de arestatis ius dicat, de possessionatis tamen ius competens dicatur. Si seruitor violator domus fugerit, Dominus suus mettertius iurabit, quòd nec suo scitu, nec consensu, neq; mandato & voluntate crimen commissum est, & occasionem fugæ

ſeruo non dedit. Citatio ex praxi vim habet areſti. Pro famulo plebeio occiſo, deficientibus propinquis dominus ſuus agere poteſt.

Filiſteos ſeu Ciganos ſi quis excipiat in bonis ſuis foueat, conſeruet, puniatur tanquam complex banniti.

Fatalibus proceſſus Iuris, ſi intra annum & ſex ſeptimanas, ab obtenta condemnatione non fuerit continuatus, præſertim non ſilentibus iuribus Iudicijsue, extinguitur. Proceſſus tamen in exequutione ex praxi communi poſt aſtitum terminum gaudet triennio & trimeſtri.

Fatalia in proceſſu, præſcriptio in re.

Fatalia prout præſcriptio ſub interregno non currunt.

Fatalia obiecta refellens, ſeu refutans, Relatione Miniſterialis poſt commiſſa fatalia recognita, tenetur relationem illam iuramento ſuo liquidare ſeu comprobare.

Furti accuſatus vir bonæ famæ proprior ad expurgandum.

Furtũ nõ dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.

Fundamento malè iacto, omnis ſuperficies corruit: alias quicquid ſuperſtruxeris, id totum ſua molle ruit. Fru-

Frustra Iura conduntur, nisi ad exequutionẽ deducantur. Vana lex nisi obseruetur.

Finitis Comitijs Regni generalibus, non priùs Iudicia quæuis, quàm post duas septimanas proximas tractari incipiant, quæ vna septimana ante Conuẽtus particulares, seu Conuẽticulos Conuentum generalem antecedentes, desinunt: Positione Actorum Terrestrium excepta, vbi tantum exemptionum iudicantur causæ sub Comitijs: Exceptisq; vltimæ instantiæ nempe Tribunalis Regni Iudicijs.

Fidele depositum præscriptionem non habet, seu causa ratione fidelis depositi.

Forma legum esse debet talis, vt sint iustæ, possibiles, omnibus vtiles, & sibi consentientes.

Fatui, furiosi, ac pueri non subeunt mortis sententiam.

Fuga facit reum.

Forum possessionatorum competens, ratione personæ & bonorũ, Iudicium Terrestre, eius ipsius loci, vbi seu sub cuius Iurisdictione bona rei conuenti, seu conueniendi consistunt.

Forum impossessionatorum Nobilium Iudicium

cium Capitaneale ſub cuius Iuriſdictione præueniri poterint.

Forum licentioſorum impoſſeſſionatorum Nobilium, bona aliena turmatim infeſtantium, peſſundantium, Tribunal Regni ex vi citationis literalis inter Cauſas recentis Criminis hoc nomine editæ.

Forum vagorum Plebeiorum omnis loci Magiſtratus. Cauſarum merê Criminalium forum Comitiale ſeu Conuentus Regni Generalis. In Cauſis Criminalibus Articulorum Caſtrēſium, illud idem Iudicium Capitaneale ſub cuius iuriſditione crimen patratum fuerit. Criminis autem recentis officiũ Caſtrēſe ſeu forũ officio in eodem.

Forũ ad inſcriptionem, quod ipſa ad reſpondendum & iuri parendum aſſignatur inſcriptione.

Forum vbiquitarium ratione iniquè exacti & extorti Telonei ſeu vectigalis, in officio ac Iudicio Regni quouis, etiam extra Palatinum & diſtrictum proprium.

Plura videantur infra de foro.

Feudũ ſeu Ius Feudale, eſt beneficium, quod ita datur vt proprietas fundi circa dantem remaneat; vſus fructus verò accipiendi, & eius

eius ſucceſſoribus maſculini duntaxat ſexus, ex eius lumbis proprijs procreatis & deſcendentibus ſeruiat, ijs porrò deficientibus & penitus extinctis priſtinum Ius & dominium ad ſuum primæuum dominum & hæredem reuertatur.

Factum infectum fieri nequit. Non fac, non dicent.

Fortitudo virtus eſt, qua vel aduerſa depelimus, vel dolorem in perferendis aduerſis moderamur, vel lætitia in ſecundis rebus frænamus, ne quid turpiter lætitia aut dolore permoti faciamus.

Fas lex Diuina eſt: Ius lex humana: Nã tranſire per agrum alienum fas eſt, quia Domini eſt terra & plenitudo eius: Ius verò non eſt, quia Statuto aut conſuetudine prohibetur. Nefas eius eſt contrarium quod eſt impium execrabile, & abijt in prouerbium.

Finis Iuris Diuini & Canonici eſt fælicitas animæ.

Finis Iuris publici, bonum publicum.

G

GRanicies seu scopulos officiose sipatos & erectos dissipans & disijciens luitis pænis Statuti conducto suis sumptibus Succamerariali officio officiose restaurare. Porrò inofficiosè & priuata authoritate erectos, ipse erigens similiter luitis pœnis conducto proprijs suis impensis eodem officio destruere, demoliri & dissipare tenetur.

In Graniciebus seu limitibus faciendis ante omnia naturalis limes spectandus, vt pote Riuus, torrens, alueus, cubile, seu meatus antiquus & nouus; si riuus & meatus naturaliter & spontè auersus est, pro limitibus esto: Sin per industriam nouus quidem limites faciat, antiquus totus ad eum pertineat in cuius hæreditate situs est. Qui notabiliora & possibiliora signa ostenderit, habuerit agnitionem Collateralium, ductum suum literatorijs autenticis documentis verificârit, eidem decernatur actoratus; deficientibus autem signis, & præmissis agenti pro granicieb. cedit Actoratus.

Grani-

Granicierum, seu actus Granicialis fundamentum est, Remissio partium à Iure Terrestri ad campum iusque Succamerarij ad experiendum de actoratu vel lucrum, Actoratus, in secundo post pœnam contumaciæ Termino Iudicio in eodem Terrestri in contumaciam Citati obtentum: quo obtento in campestri Iudicio nullus Citato datur locus controuersiæ, verùm Iudicium illud ductu & vestigijs actoris granicies erigere debet. Post remissionem autem Terrestrem in campo ductus in primis partium lustrantur, lustratis experiuntur Iure partes de Actoratu, cuius possibilior ductus visus fuerit, huic adiudicatur actoratus, ita tamen vt in vltimo scopulo aciali metseptimus iuret se nihil fundi vicino suo ademisse.

In causis finium regundorum, tametsi Citatus in Iure campestri non comparuerit, ac in sui Contumaciam fuerint erecti scopuli, nihilominus actor super veram & iustam ductionem, & quod nil fundi alieni ademerit, metseptimus corã officio campestri iurare tenetur, si non iurauerit granicies illæ sunt irritæ.

Hom-

H

HOmicidium quadruplex, contentiosum, insidiosum, defensiuum, & casuale.

Homicidij pœna contentiosi; quod fit ex cõtentione, in mutuo conflictu, pœna publica turris, & solutionis cæsi capitis, quæ insimul decernitur, eò quod eadem defensæ, vnum idemque scrutinium factum declarat.

Homicidij insidiosi, pœna colli, seu infamiæ, solutio capitis de bonis homicidæ.

Homicidij defensiui in obsidione quidem viæ dum obsessor cæditur, seu In defensione trucidatur, sexaginta Marcarum: In defensione autem vitæ, circa inuasionem domus & bonorum, dum inuadens perimitur, centum viginti Marcarum pœna vtrobique absque turri.

Homicidium casuale, quod fit casu extra omnem contentionem, rixam, & odium. In ciuitate tamen vel circa domum aut in campo patenti è bombarda interficientẽ personã aliquam, casus allegatio nõ iuuat.

Homicidij porro è pyxide patrati studiosi ac volun-

voluntarij citra inuasionem domus, pœna perpetuæ bannitionis.
Processum in causis vindicandi homicidij vide sub Titulo P.

I

IVstitia est constans & perpetua voluntas Ius suum vnicuique tribuens, & hoc non quantum ad actum semper, sed quantum ad effectum.

Iustitia est animi dispositio & mentis affectus qua quis dicitur iustus, dum quis sine personarum acceptione, & distinctione velit cuilibet quantũ in se est Ius suum tribuere.

Item. Iustitia est habitus bonus tribuens cuiq; suam dignitatem, Deo religionem, Parentibus obedientiam, Maioribus reuerentiam, Paribus concordiam, Minoribus disciplinam, sibi ipsi Castimoniam, & Pauperibus ac miseris compassionẽ operosam.

Item. Iustitia habitus est animi, communis vtilitate seruata, suam vnicuique tribuens dignitatem, & sic est congrua animi dispositio singulis in rebus rectè diiudicans causam.

Item

Item. Iustitia est virtus seu æquitas vnicuiq; sua secundum dignitatem distribuens.

Iustitiæ suum est, iustum administratorem ac distributorem secundum singulorum dignitatem esse, Patrios mores seruare atque Constitutiones, scriptis obsequi legibus, in Controuersijs vera proloqui, pacta & Conuentus custodire. At prima ac præcipua erga Deum iustitia est, secunda erga patriã, & parentes, Tertia erga domesticos. Vbi est iustitia ibi reliquarum virtutum concordia: omnes enim virtutum species vno iustitiæ nomine continentur.

Iustitia in sese virtutes continet omnes quæ præclarissima virtutum, eo splendore mortalium oculos perstringit, vt affirmet Aristoteles, neque Hesperum nec Luciferum tantoperè rutilare.

Iustitia est virtus vt supra.

Ius eius virtutis exequutiuum.

Iurisprudentia est scientia illius Iuris.

Item. Iustitia est inter virtutes summum bonum, Ius medium, Iurisprudentia infimum.

Item. Iustitia tribuit vnicuique quod suum est: Ius verò coadiuuat, Iurisprudentia autem docet qualiter illud fiat.

Funda-

Fundamentum iustitiæ est fides, id est, dictorum factorumq; constantia, ex quo, quia fiat quod dictum est, appellata fides.

Iustitia duplex, vna naturalis, constans, & perpetua voluntas vt supra: Altera Legalis, quæ dicitur Lex, quæ sæpè mutatur, sine qua nec gentes, nec Regna, diu permanere possunt: vnde & iustum intelligitur fieri vno modo ex ipsa natura rei quod est ius naturale: Alio modo ex quodam Statuto inter homines quod dicitur Ius positiuum.

Ius tãtum valet sicut rectum & iustum, quod à iustitia deriuatur.

Ius nomen generale, Lex species iuris est, & est Ius scientia boni & æqui: Et aliter Ius dicitur Collectio legitimorum præceptorum, quæ nos artant ad obseruandum bonum & æquum, hoc est ad vtilitatem & æquitatem siue veritatem iustitiam designantem.

Diuisio Iuris.

Ius Diuinum, quod literis Diuinis vtraque pagina sacra contentis, Diuinitùs traditum & mandatum est.

Ius Naturale, commune omnium nationum, eò quòd instinctu naturæ & non constitutione aliqua habetur, quod natura omnia animalia docuit, & docet: Et hoc non solùm est humani generis, sed etiam omnium animalium.

Inde descendit maris & feminæ coniunctio, liberorum procreatio, cura, educatio, vna libertas, acquisitio eorum quæ cælo, terra, marique capiuntur. Item depositæ rei, vel commodatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio.

Quod tibi non vis alteri nè feceris. (noli,
Quod tibi vis fieri, mihi fac, quod non tibi,
Sic potes in terris viuere iure poli.

Ius Gentium, quo omnes gentes ab initio vsæ sunt & vtuntur: vt nеminem lædere, Ius suum cuiq; tribuere.

Iure naturali erant omnia communia: omnes erant liberi. De iure gentium facta diuisio dominiorum, rerum inuenta separatio, introducta bella, contractus inducti, emptio, venditio, conductio, &c.

Iure naturali omnia communia.

Iure Gentium vel Ciuili, hoc meum, illud tuum est.

Ius

Ius Ciuile, quod quisq; populus vel quæque Ciuitas propter diuinam humanamque causam sibi constituit.

Ius Ciuile ius scriptũ, Statuta & Cõstitutiones.

Ius Ciuile etiam dicitur Prouinciale, vt pote Polonicum Terrestre, eius ipsius Regni positiuum. Idem Statutum nuncuatur, quasi stabiliter ordinatum, vel Statutum publicum definiens. Idem dicitur Municipale, â Municipio, id est oppido dictum, quo Ciuitates per Regnum ex instituto veteri vtuntur & gaudent.

Ius Militare, Belli inferendi solennitas, fœderis sanciendi nexus, signo dato congressio seu conflictus cum hoste, militaris disciplina, stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, prædæ decisio ex hostibus partæ, & pro personarum qualitatibus & laboribus iusta diuisio.

Ius Canonicum, Ius Spirituale.

Consuetudo Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, quasi cõmunis suetudo, quia in communi vsu est.

Consuetudo & vsus est optimus legum interpres.

terpres. Consuetudo imitatur legem, vbi lex ipsa deficit. Consuetudo iuri naturali non derogat, nec derogare potest. Consuetudo stat pro lege, altera lex, altera natura. Consuetudines Terrarum in iure Terrestri pro iure & lege reputantur. Omne Ius aut legibus, aut moribus, hoc est iure scripto, vel non scripto constat. Lex est sanctio iubens honesta, prohibens inhonesta atque contraria. Lex est recti præceptio prauiq; depulsio. Lex est nihil aliud, nisi recta & à numine Diuino tracta ratio, imperans honesta, prohibens cõtraria. Lex est regula vel mensura actuũ agendorum vel omittendorum. Lex est quæ scripto sancit, quod vult, aut iubendo, aut vetando. Lex debet esse iusta, honesta, possibilis, secundùm naturam & consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria, vtilis manifesta.

Officium Legis quadruplex:

Omnis Lex aut permittit, aut vetat, aut punit, aut imperat.

1. Permittit, vt virtuosus, & vir fortis benè de Republica meritus petat præmium.

2. Ve-

2. Vetat, vt nulli liceat rem alienam attrectare inuito suo Domino.
3. Punit, vt qui cædem fecerit, vel aliud crimen nefarium commiserit, pro qualitate facti, & secundùm præscripta legum luat poenas.
4. Imperat, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum, &c.

Quatuor ex verbis virtutes collige legis,
Permittit, punit, imperat, atque vetat.

Conditiones legis ex hac definitione collectæ: Lex est inuentio hominis, Donum Dei, Dogma Sapientum, Correctio violentorum excessuum, Ciuitatis compositio, & Criminis fuga.

1. Lex inuentio humana: Inuentores primos legum apud Hebræos Moysen esse volunt. apud Athenienses Cecropem ac Solonem. apud Argiuos Phoroneum. apud Cretenses Minoa & Radamantum. apud Lacedæmonios Licurgum. apud Ægyptios Trismegistum. apud Persas Zoroastem. Licurgus sanguine scripsit leges seueras, Solon atramento leuiores.
2. Donum Dei: Lex Dei est vna legalis via,

quæ nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinat. Populus ergò ſine lege, qui Dei dicta, & legum documenta contemnit, per diuerſas errorum vias, laqueum perditionis incurrit: Omniumq́; legum inanis cenſura eſt, niſi Diuinæ legis imaginem gerat, quia humanæ leges eatenus valent ſolum, quatenus non diſcrepant à Diuinis.

3. Dogma Sapientum; Sicut Iudices non debent punire innocentem, ita non debent abſoluere reum? Qui enim iuſtificat impium, & nō condemnat reum, vterq; abominabilis eſt apud Deum.

4. Violentorum exceſſuum correctio: Nam ideò factæ ſunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq́ue ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur audacia, & nocendi facultas.

5. Ciuitatis compoſitio: Ciuitas ab vnitate Ciuium nominata. Ergo omnes leges ad eius commodum referre oportet.

6. Criminis fuga: leges enim ad retrahendos homines à vitijs, & inducendos ad virtutes factæ ſunt.

Encomia Legum.

Leges totius ſunt humanæ vitæ duces ac moderatores; Totæ ſunt in æquitate, in prudentia, in profundiſſima deniq; ſapientia conſtitutæ, totæ deniq́ue ad genus humanum regendum, gubernandum, defendendum excogitatæ, totæ ad vitam benè beatèq́ue peragendam adinuentæ: Idcircò nullum imperium, nulla Reſpublica ſine legibus eſſe poteſt diuturna: Arma enim parat imperia, leges parta conſeruat. Sunt enim leges muri ac fundamenta Regni & Ciuitatis: In his ſalus hominum, in his pacis conſilia continentur.

Quod ſtamus, incedimus, quod dormimus, quod deniq́ue ſecurè vitam agimus, id totum eſt Iuris ac legum defenſioni tribuendum, quibus ſublatis bonis viris aut nullus locus eſſet, in Regno, aut turpiſſimis ſemper afficerentur iniurijs.

Leges ſunt quæ nos à periculis ignominiaq́ue tuentur, quæ ſiccarios arcent, ac inſidiarum pericula longè lateq; repellunt, in ſummo nos ocio, atq; in ſumma tranquillitate cuſtodiunt.

Ad ſalutem vitamq; hominum & quietam & beatam inuentæ ſunt leges, ſine quibus nec domus vlla, nec Ciuitas, nec Regnum, nec genus, nec hominum vniuerſorum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus eſſe poteſt.

IVDICANTEM CVNCTA OPORTET RIMARI.

Judicis officium maturè ſingula diſcutere, nec debere in ferenda ſententia præcipitem aut ſubitum eſſe, alioquin voluntas eius præcipitata, nouerca Iuſtitiæ diceretur. Nec plus vni quàm alteri parti fauere: nec eſſe acceptor perſonarum: Alienam neceſſitatem ſuam debet exiſtimare.

Imprimis autem paſſionibus animi carere debet, vt non moueatur prece, odio, vel amore. Nec debet Iudex eſſe nimis crudelis, nec pius nimis, ſed æquus in iudicando: In omni Iudicio coniuncta ſunt miſericordia & virtus, id eſt Iuſtitia, & in harum coniunctione conſiſtit æquitas. vbi iuſtitia finem & modum excedit, crudelitatis vitium gignit, & nimia pietas diſſolutionem diſciplinæ parturit.

Iudici-

Iudicium Humanum quatuor modis solet peruerti.

1. Timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus.
2. Cupiditate, dum præmio animum alicuius corrumpimus.
3. Odio dum contra quemlibet aduersarium molimur.
4. Amore dùm amico vel propinquo aliquid præstare contendimus.

In omni negotio quod ad Iudicium venit discutiendum, tres requiruntur personæ, Iudex, Actor, Reus. Iudex dicitur, quasi Ius dicens. vel quia iure disceptet. Actor quasi accusator, qui ad causam vocat. Reus â re quæ petitur, nuncupatur, etiamsi non sit ipsius rei vel criminis conscius. Causa porrò ista dicitur, à casu è quo oritur, estq; materia seu origo negotij quod est in propositione seu quæstione.

Iudex secundum allegata & probata partium non ex propria notitia iudicare debet tanquam publica & non priuata persona.

Iudex non potest esse in vna & eadem causa Iudex & testis, & Prætor & Rhetor.

Iudicium Terrestre pro quacunque summa pecuniaria, iniuria hæreditaria, personali, superficiali, aut bonis quibuscunque iudicet tanquam forum generale.
Iudicium inhonorans vel in mensa cubans, pœna trium Marcarum. Ad locum Iudicij armatus veniens, pœna quatuordecem Marcarum. Vibrans coram Iudicio arma, sexaginta Marcarum. Vulnerans & occidens, pœna colli puniatur, vel ex benignitate Iudicij redimendo caput pœnam capitis persoluat, & turrim sustineat, præcipuè vulnerum ratione.
Iudex semel in causa deliberet.
Iudicem temerè ad Tribunal euocans, pœna duplicis quatuordecem Marc. puniatur.
Ius fauorabilius est reo quàm Actori.
Quod iure fit, iustè fit.
In iure nihil frustra.
In iure semel confessus, iam amplius definit esse verborum suorum Dominus.
Iura procedunt, non retrocedunt.
In Iure simplex affirmatio & allegatio nullis fulta documētis, simplici tollitur negatiua.
Iura possessoris & petitoris vbi sunt obscura aut dubia, pro possessore iudicandum est.
Iure

Iurè, id eſt rectè. Non iniuria: Meritò: Verè & iurè. Iure optimo: Iure & merito: Meritò ac iure.

Iura omnes ſcire tenentur præter mulieres.

Ignorare leges patrias, turpe eſt viro patricio.

Iuris plus nemo alteri conferre poteſt, & pinguius, quàm ſolus habuit. Non dat, qui non habet.

Iura & leges æquè ſeruire debent pauperi, ſicut diuiti.

In Regno Poloniæ omnes vno eodemq; iure iudicentur.

Iuſtitiam nemo ſibi adminiſtrare tenetur, præter ordinarium Magiſtratum.

Inſcriptiones omnes ſecundùm formulam Statuti fiant. Contra Inſcriptiones locus dicendi non eſt, nec datur.

Inſcriptiones nonniſi ſatisfactione vel quietatione tolluntur.

Inſcriptioni non ſatisfaciens pro tempore, quod non fecit, faciat, luita pœna trium Marcarum parti & Iudicio totidem.

In recognoſcente tria conſideranda: Ætas, diſcretio, valetudo.

In inſcriptione reſignatoria, Iuſpatronatus, Inciſio, paſcua in alieno fundo, Teloneum

ſi bonis reſignandis adhæreant, ſpecificentur.

Inſcriptionẽ perpetuam non eſſe in fraudem factam probatur iuramento cum ſex teſtibus, temporalem cum duobus.

Ratione inſcriptionis in fraudem Creditorum factæ, liceat ſemper agere ijs Creditoribus quibus inſcriptio illa nociua eſt.

Intromiſſio anima eſt inſcriptionis. Ab intromiſſionis inſcriptione ſeu relatione, omnis præſcriptio accipit initium, & firmitatem.

Intromiſſio oblata in ſumma, cum pœna ter trium Marcarum, decerni debet parti & Iudicio totidem.

Inſcriptionem alterius nomine ſeu in perſona aliena falſam faciens, pœna inuaſionis domus puniatur.

Impoſſeſſionati in iudicio Capitaneali conueniendi, quibus cum ſatisfactio iniuncta fuerit, debent vel parata pecunia ſoluere in duabus ſeptimanis, vel fide iuſſores de ſoluendo in ſex ſeptimanis ab actu Decreti proximis ſtatuere, ſub pœna bannitionis, qui cum fuerint banniti capiantur, & ad ſatisfactionem in turri detineantur. Citatio

contra

contra eos in Parochia vbi possessionem habuerunt, aut nati sunt, ad valuas Ecclesiæ insigenda, & Parochianis publicanda, vel in manus Citati proprias vbi præueniri poterit tradenda.

Impossessionati Cmethones possessionatas vxores sequantur, possessionatis verò vxores impossessionatæ tradantur.

In Ciuitatibus ius reconuentionale non seruetur, sed Actor sequatur forum rei.

Iuramentum est vltimum extraordinarium iuris remedium, nonnisi in dubijs recurritur ad illud.

Iurabis nihil dabis.

Iustè iurare est Deum adorare.

Iuramentum finis litium.

Iusiurandi contempta religio solum Deum habet vltorē: ideò periurij actio non datur.

Illegitima proles, etiam matrimonio subsecuto non succedit, nec legitimatur in iure Terrestri.

Inuentor inuenta negans iuret.

Inter duo mala minus eligendum malum.

Contra Iuris præscriptum facta pro infectis sunt reputanda.

In termino Bannitionis euasio in Contumaciam

ciam Actoris obtenta, Terminum tantùm tollit non causam. Terminus & Actus Bannitionis sapit vim actus criminalis, & ideò per plenipotentem in absentia delatoris principalis prosequi nequit.

In puncto Bannitionis si plures sint Actores. sufficit vnius ad actum præsentia.

In Contumaciam nullum Decretum esse potest, etiam in Termino expediendæ deliberationis.

Inuasio domus probatur cæde aut enormi vulneratione patris vel filij familias, vxoris aut alicuius ex domesticis domusq; ipsius seu Curiæ obsanguinolatione, & in quantum insimul commissa fuerit deprædatione, vbi cum ex scrutinijs in causa inuasionis ratione intentata super inuasore conuictio decreta fuerit, conuicendus est cum sex testibus illius Terræ seu districtus vbi crimen patratum fuerit possessionatis, ex decem octo eligendis, & post conuictionem infamis pronuncietur, vel si eius copia fuerit, capite plectatur.

In exequutione rei iudicatæ, nullæ exceptiones, defensiones Iuris, rem iudicatam impedientes, dilationes, suspensiones, mo-

tiones,

tiones, & earum prosequutiones locum habere possunt. Iudex enim aut officium non est Iudex sed exequutor rei iudicatæ.

Iudicata res æquipollet inscriptioni.

Incompatibilia sunt Capitaneatus duo cum iurisdictione, quos vna persona commodè gerere & exercere non potest, qui impetrauerit huic bona confiscentur, & pœnam ducentarum Marcarum luat.

Item dignitarij Palatini videlicet & Castelani in Capitaneos iudiciales sui Palatinatus proprij præfici non possunt, excepto Capitaneo Cracouiensi: Præfecti autem & de resignando officio in Conuentu Generali vel particulari, si moniti non resignauerint, ipso facto infames.

Idem de officialibus cēsendum Terrestribus.

Iniuriosi erga parentes, puta qui clàm vel apertè in vitæ discrimen parentibus diffidauerint, insidias in periculum vitæ struxerint, pulsauerint, verberauerint, pœna violatoris Saluiconductus Regij puniantur.

Inutilis quæstio soluitur silentio.

Innocentes cogit mentiri dolor. In Tormentis sæpè mentiuntur adacti cruciatu & innocentes.

Iusti-

Iuſtitium eſt intermiſſio iuriſdictionis ſeu vacatio ceſſatioq; Iuditiorũ ob ſolemnitatem feſtorum, mortem Iudicum, ſub tempus Comitiorum, expeditionis Generalis bellicæ, peſtis graſſantis, meſſis & vindemiarum, aut alijs arduis de cauſis, & quibus humana induſtria obuiam ire non poteſt impedimentis.

Ius ſummum vulgò ius ſtrictũ dicitur. Æquitas eſt moderatio exacti iuris, propter probabiles rationes ex circumſtantijs petitas.

Ius à iuſſu dictum, id quod lex & natura iubeant. Ius ſummum ſumma iniuria, tritum ſermone prouerbium.

Iuriſditio eſt poteſtas ex iure publico introducta, diciturq; à ditione id eſt poteſtate, & iuris, quaſi iuris poteſtas.

Iurisdictio munus, & facultas iuris dicendi.

L

LEx Donum Dei & Reipublicæ anima. Lex lingua Diuinæ voluntatis.

Vt honeſtè homines viuant pænæ legibus additæ. Honeſtè viuere, Neminem lædere, Ius ſuum cuiq; tribuere, præcipua ſunt iuris præcepta.

Lex

Lex quam populus Centuriatis Comitijs seu sacra Maiestas Regia cum Statibus & Ordinibus Regni sanxerint seu laudauerint.
Senatus consulta, quæ authoritate Senatus fuerint decreta, siue ex consilio Senatus facta: Decreta placitaq; Principum: eiusmodi Decretum in vim Statuti latum Regium, de verbis Criminalibus in citatione non ponendis. Responsa prudentum, Sententiæ, & opiniones Iurisconsultorum.

Lite pendente concordiam tentantes & transigentes à pœnis quibusuis iudicialibus absoluuntur.

Litem institutam si Actor infra annum & sex septimanas non fuerit prosequutus, amittit eam, nisi Iudicia vacent: Fatalia nuncupantur.

Lite pendente seu appellatione aut motione, nil est innouandum.

Lege deficiẽte vsu & cõsuetudine vti debem⁹.

Literis per oblatam emanatis nil probatur, nisi originale producatur

Literas Castrenses Capitanei vel eorum Vicecapitanei subscribant.

Literæ moratoriæ contra Nobiles, Ciuibus & Iudæis abrogatæ.

Literas producens in Iudicio suspectus, eas cum Actis publicis vnde emanârunt conferrat, quo nomine sibi detur dilatio ad proximos Terminos, si Actis congruerint de verbo ad verbum collata, obijciens luat pœnam 14. Marcarum: si aliquis apparuerit defectus in collatione eas eum sex testibus è decem octo eligendis comprobabit. Si Acta desint, vel incendio vel alio quouis casu fortuito è medio rerum sublata, producens mettertius eas comprobet.

Litis contestatio est in principali, post omnia accessoria responsio.

Lustratio bonorum Regalium quolibet quinquennio instituta, ita tamen vt nihil decedat & minuatur, sed quantum fieri potest quartæ accedat: Exceptis casibus fortuitis. Idem de bonis Regalibus per Reuisores nondum post extenuationem summarum antiquarum lustratis, lustrandis, censendum est.

Lustratio bellica in Palatinatibus nonnullibi per districtus quotannis obeunda laudata, sub pœna mille Marcarum: In qua nullæ consultationes publicæ, tumultusq; fiant & securitas obseruetur.

Lex

Lex humana cedit Diuinæ: Deo enim magis obediendum est quàm hominibus.

Leges veteres corriguntur aut abrogantur nouis.

Lex specialis derogat generali.

Leges cum omnibus semper vna eademque loquuntur voce. Omnia iussis supremæ legis obtemperant. Salus populi suprema, Lex esto. Authoritate Leges & iura tecta conseruantur.

Lex non tantùm est iuris & æqui Regula, institutum, & præceptum, sed etiam Conditio, & pro conditione ponitur. exempli gratia: Homines ea lege nati sumus, vt omnibus fortunæ telis exposita sit vita nostra. Vide plura de Lege, sub Titulo I

Legitimum dicitur id, quod fit secundùm legem.

Licentia accipitur in malam partem, Libertas in bonam.

Libertas est adstricta legibus, nam Legum serui sumus: Porrò seruire legibus est secundùm rationem viuere.

M

MATER semper certa eſt, pater autem is quem Nuptiæ demonſtrant.

Matrimonio nil naturalius.

Mulier habens virum, Tutor eſſe non poteſt, quia ſui iuris non eſt.

Mulier ſubeſſe viro debet.

Mortuo marito mulier abſoluitur à iure ipſi9.

Mulier maritata per maritum ad conſentiendum alicui inſcriptioni adducta, parentem ſuum circa ſe conſentientem habens, parens ſupplet vicem duorum amicorum.

Mulier oppreſſa, infra triduum ad villam viciniorem currat, clamorem excitet, de violentia proteſtetur, ſigna oppreſſionis oſtendat, tandem Iuramento violatorem conuincat.

Mitiùs agendum cum ſponte confeſſo, quàm cum Iure conuicto.

Minuta ſimplici ſeu inautentica nil probari poteſt, ſed tantum autentica, aut libris coram Iudicio.

Minutas res in Aula Regia furatus, auris periculo ſubſit.

Male

Malè fidei possessor nunquam præscribit.

Maiores causæ sunt quæ excedunt Marcas Triginta, minores quæ sunt infra.

Mora cuilibet rei, perinde Iuri nociua.

Ministerialem Regni Generalem, officium suum exercentem violans, tanquam violator securitatis Iudiciorum puniatur.

Ministerialis sua relatione neminem conuincit, sed propior Citatus ad euadendū præcipuè in processu ratione positæ citationis.

Mortuo pendente lite, siue Actore, siue reo, vel si plures sint actores vel rei, vno ex comparticipibus litis, reuificanda est causa intra annum & sex septimanas à successore, vel cōtra successorē, & superstites litis conparticipes per adcitationem reuificatoriā.

Magistratus hæc est vis, vt præsit præscribatq; recta & vtilia, & coniuncta cum legibus: Vt enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus, verèque dici potest: Magistratum esse legem loquentem. Legem autem mutum Magistratum.

Magistratus proprium munus est intelligere se gerere personā publicam, debereq; eius dignitatem & decus sustinere leges & iura seruare, & fidei suæ commissa meminisse.

N

NOminatio in delictis non vendicat sibi locum, nec liberatur delinquens, nominato auctore delicti.

Nobilis literas & Iura super bona sua proferre non tenetur, nisi omninò appareat ea esse Regalia.

Nobiles eorumq́; subditi liberi sint ab omnibus tributis, oneribus, duobus grossis de singulis laneis in recognitionem Dominij relictis : Immunes nunc postremò & ab eo onere Nobiles: ijdem liberi ab omnibus Teloneis, vectigalibus, & foralibus.

Nobilitas omnes vtilitates ex fundis suis liberè recipiat, etiam mineras seu metalla quærat, & fodiat.

Nobilis nobilem priuata authoritate captiuans & incarcerans, pœnam centum viginti Marcarum, sessionis turris per annum, & triplum tanti temporis quo captiuum detinuit, quia sibi parem & æqualem in priuatis carceribus mancipauit, & damna iuramento quæcunq́; passus iniuriam comprobare voluerit, liquidanda luit.

Pro eliberatione nihilominus captiui, con-

consanguineus, & seruus pro Domino, dominus pro seruo agere potest. Capitaneus verò decernat eliberationem citra appellationem sub pœna Bannitionis.

Nobilis nobili si diffidauerit, conuictus hoc nomine ad refusionem damnorum ab Actore, iuramento liquidatorum cum pœna centum Marcarum condemnetur.

Nobilis nobilem in duellum prouocans, dimidio anni in turri detineatur, & Marcarum sexaginta pœnam luat. Forum in Iudicio Terrestri.

Nobilem plebeius occidens vel vulnerans, cui Nobilis occasionem litis non dedit, capite plectatur.

Nobilis is capax dignitatum & honorum, qui vtroq; parente nobili nascitur: nec minus Nobilis, qui matre plebeia, patre verò nobili ortus est: Pater enim generat, mater formam generandi dat & præstat.

Nobilitatio nonnisi in Conuentu generali esse potest, Priuilegijq; super Nobilitatem dati, Constitutione Regni publica approbatio. Cui ignobilitas obijcitur, tenetur in Conuentu electionis Iudicis ad Tribunal Regni deputati sui Palatinus proprij, corã

Nobilibus illius Palatinatus suam probare & deducere Nobilitatem. Probatæ testimonium ad Tribunal Regni seu Iudicium Terrestre ab eodem Conuentu obtinere: nihilominus ad Iudicia eadem testes præstandi iuramenti ergò in Conuentu præsentatos statuere & repræsentare.

Nobilitas autem ipsa sex testibus probatur, duobus ex eadem stirpe, duobus ex secunda, duobus ex tertia genealogia, non tantumq; testibus, verùm etiam iuxta Constitutionem Coronationis Sacræ Maiestatis Regiæ fæliciter regnantis dispositionibus Maiorum, vtpotè diuisionibus, reformationibus, Actibus granicialibus, ac alijs gestis & Actis publicis, quæ deductio Nobilitatis dilatata & innouata est Constitutione allegata, Anni 1633. prout ex ea suoq; tenore id latiùs videre licet.

Nobilem se asserens cùm non sit, bona sua omnia amittat, quorum dimidia pars ad prouentus Quartæ partis, dimidia ad delatorem pertineat: Forum in Tribunali Regni inter causas Officij.

Impossessionatus Titulum & prorogatiuam nobilitarem arroganter sibi vendi-

cans, conuictus & nobilitate abiudicatus, in turri per dimidium anni ſedeat, ſub pœna infamiæ. Qui verò aliquem iniquè eo nomine criminatus fuerit, pœnis Statuti ſubiaceat, de quib⁹ ibidem cognitio fiat, vbi cauſa inſtituta fuerit. Qui verò occiſum aſſerit Nobilem fuiſſe, cùm non fuerit, & actionem pro occiſo ceu Nobili mouerit, nihil lucretur, quinimò centum viginti Marcarum pœna, & ſeſſionis turris per vnum annum puniatur. Idem de vulneribus ſeu vulnerato agente iure Nobilium, ille verò ignobilis cenſendum.

Nobiles poſt Curiam Regiam euocari non possunt, niſi pro bonis liquidi iuris Regij quæ in Reuiſione literarum pro Regalibus bonis cognita fuerint, vel in Summis tàm antiquis, quàm nouis obligata: Tum pro Aduocatijs, Scultetijs, Mineris ferrarijs, Molendinis, Tabernis, ſub pœna quingentarum Marcarum in Tribunali Regni, inter cauſas Officij repetenda.

Nobiles poſſunt habere domos in Ciuitatibus, modò reſpectu bonorum Iuriſdictionem Ciuilem agnoſcant, & onera Ciuilia ferant.

Nemo tenetur respondere nisi viso Ministeriali.
Nemo derogat iuri suo, nisi per propriam recognitionem.
Nemo sapiens nisi patiens.
Neptis ex fratre non potest succedere in bona patrui sui steriliter defuncti, verùm duntaxat frater suus si eum habuerit germanus.
Neptis tamen post auunculum & amitam æquali successione cum fratre suo germano gaudet, & gaudere debet, in ijs bonis quæ viuente matre eorum super eam deuolui deberent.
Neptis tamen sola absq; fratre germano relicta, post patruum steriliter defunctum succedit, & habet Ius æquale cum alijs si sint plures fratribus suis patruelibus, sed fratribus germanis existentibus illa vt præfertur ad successionem nil Iuris habet.
Nihil vi præter æquum faciendum est.
Nihil est tam naturale quàm eodem genere quodq; dissoluere quo colligatum est, & ideò inscriptiones Actis contentæ similibus Actorum inscriptionibus eneruantur.

O

OBligata hæreditas Teſtamento legari non poteſt.

Officium Caſtrenſe ſemper debet eſſe paratum, in recenti Crimine miniſtranda Iuſtitia, exequutione rei iudicatæ, ſuſcipiendis inſcriptionibus, exceptis diebus Dominicis, & feſtis ſolennioribus.

Officij fides inconuincibilis: Officium Officio credit.

Officiũ quodlibet cum perſona extinguitur.

Officij Caſtrenſis ad querellam cauſæ.

1. Diuiſionis, 2. Dotis, & prouiſionis.
3. Expulſionis violentæ.

Item Cauſæ ad Inſcriptiones, & Contractus, Interciſas, & recognitiones inſcriptionibus vadio roboratas. Item pro abacto, non præſentato ad foreſtam Regiam pecore pro pœna. Item pro famulo abſq; literis Teſtimonialibus Domini ſui ſuſcepto, pro pœna Centum Marcarum. Item pro Teloneo iniquè extorto, ratione cuius forum vbiquitarium. Item ratione vſus bombardarum. Item ratione non extradi-

extraditarum publicarum Contributionū. Item, Causæ recentis criminis. Item, Causæ per remissionem pro exequutione deuolutæ.

Omnis Regula iuris, præcludit viā calumnijs.

Omne simile claudicat.

Occidens ex pyxide, aut vulnerans duplici pœna punitur.

Omnis actio iniuriæ sistitur Euasione.

Omne promissum cadit in debitum.

Omne nimium vertitur in vitium.

Omnis virtus in actione consistit.

Omnis nostra cura debet in hoc versari semper si possumus, vt boni aliquid efficiamus, si minùs certè nil mali.

Optima viuendi ratio est eligenda, eam iucunda reddet consuetudo.

P

PAter & frater pro excessu filij & fratris non punitur, & è conuerso, nisi sit Particeps criminis.

POTIORITAS.

Potioritas iuris seu actio potioritatis successit in locum causæ deportandæ citationis.

Potio-

Potioritas non tantùm ex Citatione cruda, Terrestri contra possessorem bonorũ conuicto principali edita, verùm etiam remissione Castrensi oritur, dum videlicet pro complicitate banniti Citatus, Ius ad bona Iure victi prætendit: Et quoniam officio Castrensi practica Iurium non incumbit, ideò remittuntur partes ad experiendum de potioritate Iuriũ ad Iudicium Terrestre.

Potioritatis actio non datur, dariq; non potest bonorum possessori, nisi prius Iure conuicto, bannito & publicato, principali debitore, vel hærede. In causa potioritatis concurrentibus in vicem pro vno ac eodem Termino pluribus competitoribus fit suspensio causæ, cum possessore, donec hi inter se Iure experiantur.

Possessor non nisi ad persolutionem summæ ipsius principalis, aut satisfactionem pro re iniuriaue principali tenetur: perlucra eum non afficiunt, sed in persona Iurevicti exequutio perlucrorum petatur.

Inscriptio quippè, vel principalis iniuria de natura Iuris: Perlucra autem de natura delicti proficiscuntur.

Onus debiti bona: onus perlucrorum personam

ſonam afficiunt, ex mente legis quæ dicit, Iure victi ad manus aduerſariorum, ligati tradantur.

In cauſa potioritatis tanquam poſſeſſoria, non admittitur dilatio ad conueniendum euictorem: quomodo enim, Iureuictus bannitus qui locum ſtandi in Iure non habet, quomodo ſucceſſor qui abrenunciauit bonis euincere poterit?

Exequutioq; rei iudicatæ nullis ſiſtitur dilationibus, verùm ſalua actio citato cum euictore reſeruatur.

Euictor autem in inſtanti ſtatutus, locum habet, hac lege vt in inſtanti ſatisfaciat.

Non conuicto principali, datur dilatio ad euictorem, cui cauſa integra tradenda.

Per Potioritatis cauſam non tantùm poſt conuictum principalem, verùm etiam poſt abrenunciationem ſucceſſionis ſucceſſoris, ad poſſeſſorem bonorum recurritur, & pro potioritate Iuris agendi latiſſima contra poſſeſſorem bonorum inſcriptione, cauſa perlucris, proceſſuué oneratorum ſternitur via.

Potioritas reſpicit poſſeſſorem.

Expulſi tamen prius reſtituendi in bona, nec

nec pro iure possessionis antequam restituantur respondere tenentur.

In causa seu ad causam potioritatis nè toties mutetur aut innouetur possessor necessariò in Citatione adijciendum est: & alijs omnibus ad ea bona se habere ius prætendentibus.

Potioritas itaque Iuris in primis ex circumstantia temporis, colligitur; iuxta Regulam iuris generalissimam.

Qui prior tempore, potior & iure.

Ex actibus Inscriptionum tempora metiuntur. Ex persona quoque recognoscentis temporis mensura computatur: Filius viuente patre, debitum in bona paterna importare non potest, quæ postea viuens pater distrahere & venundare antequam eorum ad filium successio deueniat, potis est. Nihilominus pro homicidio patrato per filium debetur satisfactio ex sorte hæreditatis in eum post parentes Iure successionis naturalis cedenda & deuoluenda, iuxta Statutum de ludo Taxillorum sic sonans: Talia omnia & singula per ipsum deperdita volumus & decernimus, vt in ipsius partem seu sortem computentur.

Item ex circumſtantia loci:

Quamuis prior ſit tempore Inſcriptio in remotiori Iudicio aut Officio, poſterior verò in ſui proprij diſtrictus Actis recognita, hæc tamen ſui diſtrictus tametſi tempore inferior, illam in extraneo ac â bonis oneratis remoto Territorio factam antecellit, & ei in Iure præfertur. Quamobrem Inſcriptiones extra Acta propria recognitæ ad Acta ſui diſtrictus proprij, in quo bona onerata inſcriptauė ſita ſunt, transferantur tempeſtiuè.

Ab Actu quarum Translatorum (non verò primitiuo quo recognitæ) prioritas & potioritas Iuris incipit & initium trahit.

Potioritate perpenſa ſequitur examen iurium & Inſcriptionum, è quibus in libram poſitis ponderatis, potioritas ipſa elicitur.

Inſcriptio officioſa ſeu authentica Chirographo & recognitioni manuali, quamuis actu prioribus & data anteponitur.

Cauſa Inſcriptionis ſeu ad inſcriptionem eiuſque Iuris proceſſus, cauſæ & proceſſui ſimplicis iniuriæ.

Inſcriptio Actis perpetuis vim perpetuitatis

tatis habentibus contenta, Inſcriptioni temporaneis Actis recognitæ.

Inſcriptionum aliæ ſunt in intentione, ſeu in expectatione: aliæ in effectu: Harum Ius potiùs æſtimatur, ab actu namque ſuo robur & efficaciam obtinet, illæ ab euentu dependent. Porrò inſcriptionum, & recognitionum aliæ ſunt publicæ, vt inſcriptiones debiti officioſæ, & aliæ id genus, quæ palàm fiunt & Actis publicis connotantur: Aliæ priuatæ, vt Interciſæ & Contractuum pactorumque literæ, recognitiones, quamuis roboratæ. Actis tamen publicis circa roborationes non inſertæ, vnde ad arbitrium Actus earum immutari poſſunt, taciti Contractus & vmbratiles meritò nuncupatæ.

Inſcriptionum denique aliæ ſunt puræ, liquidæ: aliæ cõditionales; quicquid autem eſt ſub Conditione, non eſt in re; quapropter publicæ priuatis, puræ conditionalibus præualent, ac priorem in Iure locum occupant.

Proteſtatio capitis ſeu cædis, conſeruat Ius capitis, & ab eius actu potioritas ſeu prioritas Iuris computatur.

Iurium & Inſcriptionum legalitate librata & trutinata, qualitas bonorum conſideranda.

Reformatio in medietate omnium bonorum facta, non aliter in habendis bonis ſeſe extendere poteſt, niſi quæ morte mariti libera fuerint relicta.

Idem de aduitalitate cenſendum, ea videlicet bona quorum viuus in poſſeſſione reali fuit maritus, aduitalitati ſubiecta & obnoxia fore: Debitum in omnibus bonis recognitum non poteſt totum de particula peti, verùm proportionaliter reſpectu bonorum omnium per debitorem alijs oneribus inuolutorum, præcipuè cùm diuerſi ea poſſeſſores teneant, ne alicui ex eis, alterutro prægrauato, iniuria fiat.

Bona alia immobilia, alia mobilia, quæ etiam in potioritatem computantur. Alia Regalia & ſpiritualia, quæ onerari non poſſunt tanquam Reipúblicæ bona: ſummæ tamen pecuniariæ, bonis ijſdem inhærentes. Cauſæ potioritatis annumerantur & cedunt in computum.

Porrò Terreſtria ſubſunt iuri Terreſtri, Ciuilia ad Ius Ciuile remittuntur. Ex-

Extra præallegatas in potioritatis qualitate pensandas circumstantias attendenda & consideranda Præscriptio.

Finis vnius temporis est principium alterius Iuris: Triennalis possessor & Tremestris, dummodo aliquo modo non fuerit sua interrupta possessio; non tenetur ad causam potioritatis, tantùm exemptionis.

Male fidei tamen possessor non præscribit, si Titulo iusso careat, aut Iure illegali ac de Iure inualido bona teneat; præscriptio ipsum non iuuabit. Antiqua hæc est potiùs dierũ & non Iuris præscriptio: Ad veram præscriptionem requiritur Titulus, bona fides, & pacifica possessio: Illicitus si adsit Titulus, non dat causam præscribẽdi.

In personis etiam seu personarum intuitu, potioritas signanter & præcipuè euincitur: Et inprimis persona debitoris in statera locatur, dum quæritur, vtrum fuerit habilis & idoneus aptusúe ad recognoscendum Iura, & inscriptiones controuersas: Minorennis an adultus? Pleni Iuris, an Bannitus, infamis & capite diminutus, mentis & rationis cõpos? Infirmitas quip-

pe corporis non impedit animi operationes. Ex æquitate tamen Inſcriptio per bannitum facta omnium infima, ſimiliter reformatio, Donatio in toto caſſatur, quia nulla data pecunia: Tandem perſona poſſeſſoris vtrum originali, an transfuſorio quæſito Iura bona tenet.

Per transfuſiones enim transformantur Iura. Reformatio transfuſa vertitur in ſimplex debitum, & eſt exemptibilis.

Ad extremum ex cauſa potioritas æſtimatur. Soror vindicans dotem de bonis per fratrem diſtractis, potior eſt ex Iure ſuo naturali: Inſcriptio tamen dotis ab Actu ipſo inſcriptionis aſſignatoriæ cōputanda eſt. Domina reformatoria orphana & vidua ſecundariò nubens eſt in exemptione, quæ alioquin in ſtatu viduali perſeuerans non erat exemptibilis.

Cauſa Priuilegij ſui reformatorij reformatoria domina filiabus mariti ſui, ſi ſuaptè id non fecerit, de Iure dotem ſoluere non tenetur, quia Iure ſuo gaudet.

Ex cauſa conditionis. Vxor ſub poteſtate viri exiſtens, licet reformationis, Inſcriptio-

ſcriptionem ad Acta proprij ſui diſtrictus, vbi bona reformata conſiſtunt non transtulerit, id in cauſa potioritatis ſibi minimè obeſſe poteſt. Domina Aduitalicialis ex cauſa gratuiti beneficij, tenetur omnia mariti debita inſcripta tollerare & exoluere.

Ex cauſa iura metiuntur. In militaribus teſtamentis ſolennitates Iuris non requiruntur. Item tempore peſtis, à ſimili ducta ratione, tunc etenim bellum inter Deum & homines viget.

DECISIO POTIORITATIS.

Priori tempore & Iure potiori primus locus in ordine, ſecundo immediatè ſuccedenti, ſecundus. Tertio tertius, ac ita conſequenter per ordinem vſque ad vltimum.

Poſt experimentum ac deciſionem inter cõpetitores, iuxta ſuſpenſionem cauſæ, fit contra poſſeſſorem omnium illorum concurrentium cauſæ directio: vbi poſſeſſoris iura trutinantur, examinãtur, ponderantur, & cum Iuribus cõpetitorum conferuntur.

Quod ſi fuerit ius prius, aut præſcriptum triennale & trimeſtre poſſeſſoris, extunc poſſeſſio bonorum circa poſſeſſorem relinquitur,

linquitur, data facultate competitoribus eum eximendi. Sin verò fuerit Ius eius posterius & præ Iure aliquo inferius, deteriusué declaretur, nihilominus optio datur & arbitrium possessori, vt si velit bonis ipse potiri, priori in Iure summam persoluat, si soluere nolit, bonis cedat.

Alijs omnibus vsque ad extremum, & loco infimum, qui in collatione seu comparatione Iure suo exæquare non possint, plenaria facultas reseruatur, priorem seu priores in Iure seu Iuribus eximendi, & summas eorum reponendi, qui si tanti nõ fuerint, vel bona ipsa non correspondeat, nec summis reponendis æquipolleant, suo damno & malo abeunt vacui: Extremos occupat scabies.

Fiscus successor vltimus, in possessione posterior æstimatur.

Causa potioritatis euasione in, contumaciam Actoris obtenta nõ sistitur, æquipollet causæ exemptionis.

Taxato bonorũ in causa potioritatis esse non potest: Nam Lex & praxis Iuris communis pessundaretur, quæ talis est. Habenti ius priùs & potiùs adiudicanda bona

bona: non habenti adimenda: Vis possessionem suam vindicare, solue priori: præterea nihil.

PROCESSVS.

In qualibet gradu, puncto, & instantia Iuris obijci potest malè obtentum processui: Non tenetur Actor ab origine causæ, nisi ab vltima litis contestatione, si ea in processu intercesserit, processum iuris deducere.

Processus in Contumaciam obtentus triplici modo tollitur.

1. Per malè obtentum: Illud porrò ex Incompetentia fori, Actoris, actionis, saltus in processu, fataliorum admissorum, defectus relationum positarum, Citationum, & id genus alijs ex legalibus & iuridicis rationibus deprehenditur.
2. Per ignorantiam, probatione Iuratoria in Instanti præstanda, dum modò non interuenerit in processu personalis Citati controuersia, scriptio Termini, aut aliqua per eius personalem comparitionem absoluta instantia: si merè in contumaciam sit pro-

cessus obtentus solusmet, sin per Controuersiam tantùm non personalem, mettertius, hoc adiecto : quod in causa controuertere non commisit, Citatus in instanti iurare tenetur. Iurans nihilominus aut post præstitum, aut indultum Iuramentum, sublato processu illocò super originalem Citationem respondeat.

3. Per satisfactionem : solutione summæ principalis necnon vadij similis summæ correspondentis.

Pro perlucris autem seu vadijs triplicatis, solutione vadij duplicis Capitanealis videlicet Centum viginti Marcarum parti & Iudicio totidem in instanti soluendarum, sub approbatione processus & bannitionis : in defectu satisfactionis, processus & bannitio approbatur. Causaq; pro finali exequutione in persona & bonis iureuicti facienda, ad locorum Capitaneos remittitur.

Processus tamen & perlucra causæ pœnalis, vt potè ratione administrationis iustitiæ pœnis tolluntur. Fit etiam nonnunquam ex arbitrio Iudicij perlucrorum moderatio in vltimæ instantiæ subsellio.

Processus abnegatio per plenipotẽtem quod

ſuus principalis alteri Plenipotenti puta, non inſcripto controuertere non commiſerit, eſſe non poteſt, plenipotens plenipotentem abnegare nequit, cùm non ſit maioris authoritatis hic, quàm ille, niſi ipſe principalis perſonaliter conſtitutus id habet Iuris beneficium.

Proceſſum tamen merè in Contumaciam obtentum Plenipotens abnegare nomine ſui principalis poteſt, quod cùm fit, & ad iuramentum res deuenit, impetratur & datur principali veræ infirmitatis dilatio, tanquam in perſonali actu Iuramenti.

Plenipotentiæ porrò inſcriptæ, ad euitandum periuriū in abnegatione proceſſus inſtauratæ, in cauſis ad inſcriptionem, expulſionis, exemptionis, Diuiſionis, quæſtionis hæreditariæ, & exequutionis rei Iudicatæ.

Procuratores cuilibet petenti ad ſui cauſæque ſuæ defenſionem à iure addantur, qui tamen velit & procuratore careat, cauſam ſuam agat.

Ijdem inſcriptiones & quietationes abſente principali, non faciant, nec ſummas tollant. Ijdem in Citatione verba Criminalia non ponant, ſub pœna ſeſſionis tur-

 ris

ris vnius ſeptimanæ. Ijdem infra triduum controuerſias offerant.

Pro iniuria fundi non Dominus vel Domina aduitalicialis, verùm hæres tanquam in quæſtione hæreditaria conueniendus eſt.

PRÆSCRIPTIO.

Præſcriptiò bonorum obligatorum triginta anni: Rumpitur proteſtatione ſingulis annis facta, & iuxta praxim Iuris communem proceſſu exemptionis ſeu cauſa ad tollendas ſummas intentata, euaſioneq́ue ſuper Actore ea in cauſa per Citatum obtenta.

Præſcribunt vir triennio: maritata decennio: vidua ſexennio: virgo orphana poſt ſui deſponſationem contra tutorem triennio & trimeſtri: Monialis annis viginti, fauore religionis, vt cùm nuptæ decennium habeant, illæ tanquam ſponſæ Chriſti viginti.

Seps in alieno fundo poſita biennio: Venditio triennio & trimeſtri: Frumentum mutuatum quadriennio: Agendi pro capite interfecto præſcriptio triennalis & trimeſtris, excepta pœna publica turris, quæ nunquam præſcribit. Similis præſcriptio ratione vulnerum.

Pupilli

Pupilli ſicut non reſpondent, ita non præſcribunt ſtante minorennitate.
Diuiſio bonorum inter fratres per amicos facta triennio & trimeſtri præſcribit.
Non adcitans ad proſequendam motionem non admiſſam ſimiliter poſt mortem Actoris vel Rei, nec non poſt translapſum Terminum in anno & ſex ſeptimanis præſcribit. Subditi profugi, à prima noticia, vnius anni præſcriptio.
Præſcriptio verbalis fideiuſſionis Actis non inſcripta anno præſcribit. Debita mercatorum triennio præſcribunt.
Priuilegio ſi quis non vtitur per triennium amittit illud. Remiſſio à iure Terreſtri ad campum in cauſa granicierum anno & ſex ſeptimanis non continuata euaneſcit.
Præſcriptio Iudaica trium annorum.
Præſcriptio ſub Interregno non currit.
Emptor hæreditatis triennio & tremeſtri contra propinquos & creditores præſcribit. Venditor hæreditatis tueatur emptorem tribus annis & tribus menſibus.
Inſcriptiones Caſtrenſes ex Actis temporaneis ad Acta Terreſtria aut perpetua infra annum & ſex ſeptimanas non tranſlatæ.

euanescunt. Praxis tamen obtinuit: Inscriptiones nisi quietatione tolli: Ligamenta quidem huiusmodi Inscriptionum non translatarum, aut inueteratarum, vt-potè fori & vadij aboleri, pro summa tamen ipsa inscripta in Iure Terrestri agi posse, vbi si quietatio defuerit, solutio decernitur. Inscriptiones verò antiquantur decennio, tametsi Actis perpetuis fuerint contentæ.

Recentis criminis præscriptio annus & sex septimanæ.

Præscriptionem non habent bona in perlucris, aut in dote tradita in possessionem, & Iure reemptionali aliâs na Wyderkauff inscripta non obstante longissimi temporis præscriptione, eximi possunt.

Præscriptio à relata in Acta publica Intromissione incipit. Actio furti præscribit vno anno, si vterque accusans & accusatus eiusdem fuerint Parochiæ, si minus infra triennium: Expulsi infra Mensem protestationem faciant.

Pupillis quorum bona Tutores alienarint, præscripto nocere non debet.

Præscriptio in actiones de bonis nullo Iure receptis non cadit.

Præſcriptio ratione bonorum Regalium, & è contra Terreſtrium erga Regalia nulla.
Obligatio bonorum Triginta annorum ſpacio non interrupta vertitur in Ius hæreditarium perpetuum.
Pectus abactum intra triduum ad foreſtam Regiam præſentetur.
Paſſus damnum per furtum aut ſpolium in pecoribus aut rebus minutis infra annum, pro Iumentis verò & equis vi vel furto ablatis infra triennium agat.
Præſcriptio duplex Actionis quæ Actori ſeruit, poſſeſſionis quæ citato.
Legationem publicam obeuntibus & captiuis præſcriptio non nocet, ad reditum & eliberationem de hoſtili captiuitate.
Præſcribens poſſeſſor iuret cum ſex teſtibus.
Poſſeſſor nudo Actore potior.
Non is poſſidet qui poſſidet, ſed cuius nomine poſſidetur.
Præſcriptione ſe defendens, & eam allegans agnoſcit debitum ſeu factum, & cum non apparuit præſcriptio, debitum abſque quauis probatione & Iuramento ſolui debet: Itaq; Præſcriptionis obiectione cautè vtendum eſt.

Præſcriptio propter ſegnitiem & pigritiam Dominorum & actorum eſt inſtituta.

Pupillus ſine Tutore lucrari in Iudicio poteſt, perdere non poteſt.

Pupilli ſine Minorennes, dum annum ætatis ſuæ decimum quintum completum attigerint, bona ſua à Tutore vendicare poſſunt, illa tamen abſq; conſenſu amicorum ante vigeſimũ quartum ætatis ſuæ annum alienare non poſſunt.

Pupilli ſeu minorennes in tribus caſibus iuxta Statuta vetuſtiora prouocatione ad annos diſcretionis non facta, reſpondere tenentur.

1. Jn cauſa exemptionis bonorum patri ſuo obligatorum.
2. Si quis pro patre illorum fideiuſſit, & viuente illo hoc nomine in Judiciũ tract⁹ eſt.
3. Si pater viuens pro aliqua re vel hæreditate iure impetitus fuit, illi porrò ad paratam cauſam reuiuificatoriè adcitantur.

Iuxta Conſtitutionem recentiorem minorennes qui Iuris alicuius prætextu bona Iureuicti poſſident in cauſa complicitatis, & potioritatis Iuris ad annos ætatis debitæ non prouocando reſpondeant.

Idem

Idem in causis ad inscriptionem antecessoris eorum intentatis, censendum est. Quod si processus contra minorennes cum specificatione de nomine & cognomine Tutorum suorum obtentus fuerit, non minorennes, sed ipsi Tutores probent ignorantiam processus; quod si probare nollint, processus is super minorennibus & bonis eorum vlterius continuari debet & exequi. Saluo beneficio euadendi, & pro malè obtento agendi dum adoleuerint, minorennibus reseruato. Si verò Tutor pupillorum nomine, successioni renunciat, & Iuramenti suspensione ad annos eorũ impetrata, nihilominus in bona sua intromissionem impediat, complicitatis argui, & ad iudicium Castrense citari poterit.

Jdem Tutor bona minorennium ante litem processum in summa inscripta dimittat, quæ videlicet sunt in eorum vel sui, vti Tutoris dispositione.

Pupillis non dantur in causa limitum ad annos induciæ; liberam tamen dum adoleuerint, limitibus contradicendi habent facultatem.

Parricidæ, fratricidæ, sororicidæ, non succe-

dunt in bona occiſorum, vt vnde lucra habere cupiunt, inde damnis afficiantur, & infames ſint.

Parricidarum olim pœna erat, quòd neque gladio, neque ignibus, nec alij pœnæ ſubijciebantur, ſed inſuti culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, proijciebantur in mare, vel amnem, vt omni elementorum vſu viuus carere incipiat, eique cœlum ſuperſtiti & terra mortuo auferatur. Quid eſt, inquit Cicero, (rationem huius pœnæ explicans) tàm commune quàm ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctantibus, littus eiectis, ita viuunt tamen parricidæ vt ducere animam de cœlo nequeant, ita moriuntur, vt eorum oſſa terram non tangant, ne rerum parentem naturam contactu ſui polluiſſe videantur.

Praxis Iuris eſt multiplex, qui eam neſcit eſt ſimplex.

Pixidibus ſeu bombardis nemo vtatur ſub Iudicijs, Conuentibus, Actibus publicis, foris, Nundinis, Conuiuijs, & in locis ſeu ædibus ſacris, ac circa eas, ſub pœna Ducentarum Marcarum: ſalua euaſione Iuratoria, quòd ijs non ſit vſus: nec deportâritur Citatio reſeruata.

Mos

Mos tamen & praxis obtinuit, vbi cædes nefaria ictu bombardæ admittitur, vſum cum Iuramento, ſiquidem cæde verificetur, euitari non poſſe.

Plebeij vagabundi in omni ſeu quouis loco bombardas non gerant, nec cum ijs incedant ſub pœna capitis, in quos Iudicium Terreſtre, Caſtrenſe, & Ciuile animaduertere, capite eos plectere debet, ſub pœna Centum Marcarum: ſi verò plebeius delinquens circa nobilem areſtatus fuerit, tunc ille nobilis Citatus ad officium Caſtrenſe in primo peremptorio Termino eum ſtatuere tenetur, ſub pœna Centum Marcarum: quem cùm non ſtatuerit, ſoluta pæna præfata, nihilominus Taxam capitis plebeij perſoluat, ſalua ſemel appellatione ad Tribunal extra Palatinatum & diſtrictum, in duabus ſeptimanis proximis: nihilominus plebeij ſi ſtatuantur, ad deciſionem in turri detineantur.

Priuilegia tàm publica, quàm priuata in alium ſenſum quàm in ſe ſonant non trahantur. In Priuilegijs iſta clauſula neceſſariò ponenda: Ita tamen vt nec ſpecialitas generalitati, nec generalitas ſpecialitati de-

roget, vel generi per ſpeciem, & è conuerſo non derogando.

Poſſeſſor de bonis nullo Iure receptis conueniendus: Ille verò Euictorem ſuum pro vno & eodem Termino reconueniat, qui ibidem reſpondeat, & Inſcriptioni ſatisfaciat, abſque quibuſuis dilationibus & euocationis allegationibus: In vim autem euictionis ſummam pecuniariam pro bonis tantam quantam accepit emptori perſoluat, vel ſi bona donata fuerint, poſſeſſor quantitatem ſummæ iuſtè & verè pro bonis perſolutæ liquidare debet: nihilominus poſſeſſor in poſſeſſione conſeruetur, quoad lis cum euictore deciſa non fuerit.

Pœna quondam *Piętnadzieſta*, nunc Trium Marcarum; *Siędmnadzieſta*, nunc quatuordecem Marcarum.

PROCESSVS RATIONE HOMICIDII

Conſtitutione Anni 1588. nouiſſimè ita declaratus:

1. Tranſactio Capitis, ſeu compoſitio ratione necis in ſuppreſſionem pœnæ publicæ turris interdicta.

2. Pro-

2. Proteſtatio & relatio proclamationis capitis occiſi, in duodecem ſeptimanis à die cædis proximis in Acta eius iuriſditionis, vbi patrata cædes fuerit referatur, vel à prima notitia longinqui eam faciant amici.
3. Jn foro competenti pro capite agatur ſine intermiſſione.
4. Taxa capitis vltra pœnam Turris ad duplum æſtimata: Armis manualibus interempti, Ducentis quadraginta, è bombarda quadrigentis octuaginta Marcis, quàm homicida antequam de turri exeat perſoluat, aut ſi ibi moriatur, ſucceſſor ſuus idipſum præſtet.
5. Conuictus nî ſubierit & expleuerit ſeſſionem turricam, ipſo facto infamis, publicandus, capiendus, & capite plectendus eſt: Bona eius Taxæ capitis æquiualentia parti Actoreæ tradantur, vſque ad ſatisfactionem.
6. Jdem in cauſis Criminalibus, Conuentionalibus, & articulis Caſtrenſibus ſeruandū, dum aliquis ratione inſidioſi homicidij vel alicuius criminis pœnis legum mulctatus fuerit.
7. Tranſigentibus pro capite, vel intermiſſio-

nem admittentibus, aut conuincere nollentibus proximis consanguineis, liberum sit remotioribus propinquis cuiuscũq; lineæ agere, conuincere, quicunq; tantùm velit pænam publicam turris vindicare: Quibus etiam deficientibus Officio Castrensi id sit integrum, præcedente nihilominus officiosa capitis proclamatione.

8. Vtraque partium transigens, eandem pœnam Turris demeretur, eidem pœnæ Tutores componentes subsint; cùm verò Tutores agere & caput vindicare neglexerint, à Tutoria cadant, quæ ijs qui egerint pleno iure seruire debet. Si Tutor conuincere nollit, differatur conuictio ad annos debitæ ætatis Minorennium,

9. Statutum de homicidijs in defensione commissis, cùm id liquido ex scrutinijs apparuerit, in robore conseruatur.

10 Homicidium casuale, id quod extra omnem contentionem, rixam, & odium sorte quadam seu casu fatali obtigerit: nihilominus in Ciuitate, ruri, circa domum qua iter est publicum, & in patenti campo ab occidente aliquem è bombarda, allegatio casus prætendi non potest.

11. Scru-

11. Scrutinia tam ad actum criminalẽ, quàm ciuilem cæsi Capitis ratione, & tentatæ transactæque eius occasione concordiæ in primis post obductum crimen Terrestribus aut Castrensibus illius loci, vbi crimen patratum fuerit, Terminis expedienda.

12. Citatio præcedat siue eius positio duas ante Terminum septimanas.

13. Eo deducendi scrutinij in Termino vtraque partium præstito, in primis de non conductis & incorruptis testibus Iuramento corporali scrutinium expedire tenẽtur.

14. Testes sint fidedigni, rei gestæ gnari, qui per circumstantias facti inquirantur, diligenter examinentur, examinati cum alijs non commisceantur, variantes, informati, fauorisantes annotentur: Oculatorum præcipuum testimonium, pluralitas auritorum non admittatur.

15. Testes ad summum sint duodecem, qui oretenus testentur.

16. Nobiles personæ sub fide & conscientia veritatem dicant, plebeij iureiurando testificentur.

17. Dominus ad statuendum gratia testimonij perhibendi subditos suos Citatus, eos

ſtatuat ſub pœna centum Marcarum, cui ſi defectus alicuius ſubditi obijciatur, reliqui ſtatuti eum qui deſideratur ſub ſuo domino non exiſtere, nec Citationem eum præueniſſe iurent, quod etiam de Ciuilibus tenendum.

18. Remotiores & alienigenæ in ſui proprij Territorij officio teſtimonia deponant, quæ niſi oculatorum ſint, nil ponderis ſunt habitura.

19. In occluſo rotulo partibus ſcrutinia extradantur.

20. Profunditas turris, duodecem vlnis dimenſa ab orificio vnde deorſum mittũtur.

21. Turri in proprio diſtrictu deficiente, homicida turrim in principaliori Ciuitate eius Palatinatus ſitam ſubeat & ſuſtineat.

Plus in gerendis negotijs res, quàm verba proſunt.

Pactum eſt pactio duorũ pluriumuè in idem placitum & conſenſus: Item, ſpontanea Conuentio, quod inter aliquos conuenit, quod cùm ita iuſtum putatur, vt iuri æquari videatur.

Poſteriora ligant.

Probatio eſt ratio rei dubiæ faciens fidem.

Plebeij

Plebeij contra Nobilem criminaliter agere non poſſunt, ducta à ſimili, quòd Nobilem vituperare nequeant ratione: vſus tamen obtinuit, ſubditos Nobilium cum aſſiſtentia dominorum ſuorum in quos pœna Talionis redundat, nec non Mercatores pro diſpercuſſione ſtratæ publicæ, & fæminas, quamuis plebeias, pro vi ſibi illata, criminaliter agere poſſe.
Pacis nomen dulce eſt, res ipſa tùm iucunda, tùm ſalutaris.
Pace ſublata leges & Iudicia eſſe non poſſunt. Inter arma ſilent leges.
Per quæ quis peccat, per eadem punitur.
Pro iniuſtis orare humanitatis eſt, at exorare à iuſtitia deflectentis.
Pereat mundus fiat iuſtitia.
Prudentia eſt habitus, qui ſecundùm rectam rationem deliberat, & iudicat, conſtat ex ſcientia rerum bonarum & malarum.
Prudentis eſt non aggredi vllum negotium, niſi prius, quem finem & exitum ſit habiturum perſpexeris; Fabula de vulpe & hirco idipſum innuit. Adhæc: non capi ſpeciebus in apparenti: non omne ſiquidem iuxta vulgatum prouerbiũ, quod coruſcat,

aurum eſt, nec omne bonum, quod bonitatis ſpeciem præſeferre videtur.

Præterea mediocritatem ſeruare: non omnia ſimul laudanda, non omnia ſimul ſunt vituperanda: Nunquam omnia neganda, nunquam credenda: Nunquam ob paucorum delictum multi damnandi: nunquam ob probitatem aliquorum, omnes abſoluendi. Cæterum, fide probatiſſimorum ſequi conſilia Conſiliariorum, qui ſi plures fuerint potiori acquieſcere parti, & ſalubriori conſilio.

Prudentia locata eſt in delectu bonorum vel malorum: Temeritas eſt florentis ætatis: Prudentia ſenectutis.

Prudentiæ partes, Memoria, Intelligentia, & Prouidentia: Repugnantia autem ſeu contraria prudentiæ ſunt: Præcipitantia, quæ non deliberat. Affectus qui mentem excæcat, & Pertinacia, quæ bonis conſilijs aures obturat, & ea contemptui habet.

Vt medicina valetudinis, ſic viuendi ars eſt prudentia, & eſt multarum rerum memoria & experientia.

In generali autem, Prudentia, Deum timere, de rebus incorruptè iudicare, & nil ſupra vires tentare docet.

Pru-

Prudens & ſciens peccare dicitur, qui temeritate ductus aliquid facere præſumit.

Par dicitur quod in omnes æquabile eſt: Simulq́; iunguntur Ius, par, & æquum: His fas præponitur: Vnde contra omne fas, ius, & æquum aliquid facere, quaſi contra iura Diuina & humana peccare.

Item Ius & fas omne delere, quaſi ius Diuinum & humanum ſubuertere, dictum fuerit.

Q

QVoties nos aliò rigor iuris, aliò æquitas trahit, ſemper nobis præferenda æquitas.

Quicquid militat contra Ius publicum, poſitiuum, nullitatis vitio ſubiacere debet.

Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

Qui ſuccedit in bona, ſuccedit in onera.

Quod olim in Græcia Amphictriones fuerũt, Romæ Rota eſt, in Gallia Parlamentum, in Germania Imperialis Cameræ Iudicium, in Polonia Regni Comitia.

Quicunque nobilem Virginem impuberem, ex potestate parentum vel Tutorum rapuerit, pro raptu agant, quibus de iure cõpetit: pro eliberatione verò eius personæ in Terminis Capitanealibus eius districtus secundùm Constitutionem de eliberatione captiui sancitam, agi potest.

Quod non feci, faciam.

Qui caret ære, puniatur corpore.

Qui per alium facit, per se facere videtur.

Quartæ non persolutæ, pœna priuatio Tenutæ nihilominus retenta quarta soluenda.

Quarta pars omnium prouentuum bonorum Regalium in defensionem finium Regni concessa, quarum primis tribus Sacra Maiestas Regia pro ordinarijs sumptibus, necnon restauratione Castrorũ potitur, quarta in milites cedit, quinta Capitaneo assignatur, quæ primis tribus Regijs adiungitur.

Quietationes coram Actis quibusuis Castrensibus recognitæ, tantundem valent ac si Terrestres, nec earum Translatio ad Acta siue perpetua, siue districtus proprij de iure est necessaria.

Raptor

R

RAptor sit infamis: Rapta verò se rapi consentiens dotem & bona perdat.

Constitutione recentiori Causa raptus ita declarata, quod non in sola recognitione raptæ vt antea consistat, verùm amicorum de paterna & materna lineis consensus requiratur, ipsáq; Causa seu crimen raptus, nonnisi ex Scrutinijs cognosci & iudicari debeat.

Re sua propria quilibet pro velle suo vtatur.

Rem etiam suam propriam nemo vi repetat.

Res iure non lucrata nec euicta, alteri conferri & transfundi non potest.

Restitutio in integrum seu reintegratio causæ fit, post processum, aut malè obtento, aut ignorantia sublatum.

Restitutio ad pristinum honoris gradum solet fieri de consensu partis læsæ.

Relatio criminis est, cùm ideò iure factum dicitur, quod alius ante iniuria lacesserit.

Rusticanum plebeium occidens, Nobilis triginta Marcas pro capite soluat, quarũ medietas Domino occisi, alia pueris seu suc-

cessoribus occisi cedat. Aucta hæc Taxa posteriori Constitutione ad centum Marc.

Res inter duos acta, tertio non præiudicat.

Respublica præmio & pœna continetur. Legibus præmia proposita sunt virtutibus, supplicia vitijs.

Ratione lex constat: Legem ratio commendat: Lex igitur erit omne quod ratione constiterit, duntaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conueniat, quod saluti proficiat.

Reconuentionalis actio dicitur, cùm pro eadem ipsa iniuria actor à citato reconuenitur seu redarguitur. Sunt tamen actiones, quæ quamuis reconuentionem redoleant, non sunt reconuentionales, vt potè ratione vsus bombardarum, complicitatis banniti, & id genus aliæ ad euitandam iustam, & veram principaliter agentis causam seu iniuriam plerumque excogitatæ.

S.

SImilia simili decreto seu præiudicato decernantur.

Similium similis ratio.

Semel

Semel recognoſcens in iure, iam amplius deſinit eſſe verborum ſuorum Dominus.

Soror habens fratrem germanum poſt ſororem exdotatam ſteriliter vita functam, nil repetat exceptis bonis fortunæ.

Soror poſt mortem fratris ſui germani exiſtētibus nepotibus ex fratre altero germano prognatis, nullam habet ſucceſſionem.

Extantibus fratribus germanis vel ſucceſſoribus eorum, ſteriliter defunctorum fratrum vel ſororum, in bonis paternis, nullum ius ſororibus competit, quia non hæreditant, ſed dote contentantur.

Succeſſio non trāſit ſuper ſorores germanas poſt mortuam ſororem germanam, quæ eſſet iam exdotata & abrenunciata; dos namq; vnde prodijt à fratribus, eodem ad fratres videlicet redire & reuerti debet.

Sorore maritata prouocante in Ius fratres ſuos poſt mortem patris, dotis ratione, porrô reformationē ſibi à marito eodem inſcriptam habente, hoc prætextu quod illa bonis non abrenunciauerit, decernitur Citatis euaſio iuratoria, quod reformatio illa ratione dotis iam perſolutæ facta ſit, & amplius ad dotis ſolutionē non tenentur.

Succeſ-

Successores veram infirmitatem antecessoris sui, dum ille pendente dilatione veræ infirmitatis moritur, probare non tenentur.

Stirps materna non potest conuerti in paternam, neque paterna in maternam. sed semper succedũt post steriliter defunctum, sicut successores patris in bona paterna sic matris in materna. Sequitur, dotẽ reuerti vnde exijt, in stirpem maternã post filium steriliter è viuis sublatum repræsentatiuo Iure matris suæ, quod enim maternum hoc maternum, quod paternum id paternum.

Succamerarius ac suum Campestre officium tria animaduertere debet. Literas, signa, & agnitionem Collateralium.

Scopulos seu granicies nemo siue per Concordiam, siue alio quouis modo constituere potest, aut terrã mouere, aut aliqua signa metalla erigere sine officio Succamerariali, cui talia concessa sunt.

Scrutinia in Causis criminalibus cõtra complices ab vtrinq; deducantur, vbi voluntaria studiosa & præsentialis seu personalis complicitas ex Scrutinijs apparuerit, eadem pœna complex qua suus principalis post conuictionem puniatur.

Scrutinijs dubijs & perplexis, ab vtraq; parte deductis, decernitur Citato euasio.
Securitas Iudiciorum, Officiorum, Commissionum & Conuenticulorum, securitati Tribunalitiæ adæquata, cum hac declaratione, quòd pro quibusuis excessibus, cæde, vulneribus, vsu bombardarum, ac alijs quibusuis violentijs violator Termino tacto peremptorio ad illud idem Iudiciū & officiū citari poterit, ibiq; fiat facti cognitio, & prout ex inquisitione patuerit, satisfactio decernatur sub pœna bannitionis, omninoq; eo in passu processus talis, qualis in Tribunali Regni obseruatur fieri debet, salua appellatione ad proximum Tribunal, vel Petricouiense, vel Lublinense in duabus septimanis proximis, inter causas recentis Criminis. Quod si excessus committatur in loco à Iudicio vel officio alieno, Citatione literali ad officium Castrense contra excessiuū procedatur, vel si fugiat à loco Iudicij & officij, crimine patrato, antequā sibi detur Terminus tactus similiter literali citatione citandus erit ad officiū Castrense. Eodem modo in causis Articulorum Castrensium in quocunque Tribunali

nali proximiori appellatione semel interposita iudicari debet. Termini hi Tacti in certis Palatinatibus abrogati sunt, præcipuè in Palatinatu Sandomiriensi. Agatur Citatione literali ad officium Castrense.

Securitate communi domus Nobilium & viæ publicæ gaudent.

Seruus Dominum citare non potest ad Tribunal, sed Dominus seruū ex officio serui.

Stultum est fieri per plura, quod potest fieri per pauciora.

Sublata causa, tollitur effectus.

Status causæ est summa & caput totius causæ, inde nomen habet quod in hoc causa consistat. Coniecturalis, cùm de facto fit controuersia ex quæstione An sit factum? Iuridicialis, cùm de Iure disceptatur, ex quæstione, Quale sit factum, iurené sit factum? Idem qualitatis status appellatur. Definitiuus per modum definitionis, cùm de vocabuli significatione cōtenditur, aut quid res sit declarandum est ex quæstione quid sit, vt Quid sit Iustitia?

Quæstio hæc definitionis rarior in Iure nostro Terrestri, & plerumque circa exceptionē fori versatur, cùm quæritur: Vtrum sit

ſit cauſa ſpiritualis an ſecularis? Criminalis an Ciuilis? Conuentionalis, Curialis, Tribunalitia, Terreſtris, Caſtrenſiſué actio?

In Criminalibus cauſis, in Coniecturali quidem ſtatu, ſitné Citatus criminis obiecti reus? inueſtigatur: in ſtatu autem iuridiciali, quando factum agnoſcitur, Iure tamen in defenſione videlicet vitæ & bonorum admiſſum eſſe defenditur, qualitas facti ex ipſis elicitur ſcrutinijs.

Porrò ſtatus iuridicialis ſubdiuiditur, eſtq; duplex: Abſolutus cùm ſimpliciter aliquid deducitur, quod iure factum ſit. vt Cicero ſimpliciter defendit factum Milonis Clodium Iure occiſum.

Aſſumptiuus cum factum aliquo foris adiuncto argumento defenditur, habetque locos tres: Purgationem, tranſlationem Criminis, & deprecationem:

Purgatio cùm negamus conſultò à nobis factum, ſed vel per imprudentiam, caſum, aut neceſſitatem: cùm negamus dolo eſſe factum, vt feci errore, non feci animo lædendi. Tranſlatio Criminis eſt, cùm culpã conferimus in alios vt perſuaſit adoleſcentia: feci, ſed iuſſus ab alio.

Deprecatio eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur: Hæc petit miſericordiam, & in locis affectuum verſatur: Commouent miſericordiam rei, ætas, dignitas, vita modeſtè acta: ſumuntur argumenta à Iudicis clementia.

Omne quod cadit in Controuerſiam, id aut ſit nec ne ſit? aut quale ſit? aut quid ſit? quæritur. è quibus ſtatus ſupraſcripti oriuntur quæſtionibus.

T

TEſtamenta non de immobilibus, ſed de mobilibus condantur.

Teſtamentum morte teſtatoris confirmatur: Ambulatoria enim eſt voluntas hominis vſque ad mortem.

Teſtamentum eſt vltima morientium voluntas quaſi teſtatio mentis.

Teſtamento non de bonis fundi & immobilibus, ſed duntaxat de mobilibus, quæ in inſtanti manu capi poſſunt, morituri diſponere & teſtari poſſunt.

Summa pecuniaria obligatoria aut in bonis inſcripta pro re immobili cenſetur, &

ideò legari non poteſt excepta pecunia parata & in ciſta depoſita.
Si quis poſt mortem ſuam ſcribat & inſtituat hæredem futurum, nec ei viuus det hæreditatis poſſeſſionem, pro teſtamento talis inſcriptio reputatur, & ideò inualida, ſapit enim vim expectatiuæ.
Codicili à Teſtamento differunt, quod id officiosè condatur, illi autem manu propria ſcribantur, vel ore proprio enuncientur, adhibitis tamen teſtibus, & ſunt eiuſmodi prout Teſtamenta efficaciæ, modo Iura Teſtamentorum & formam non excedant.
Solennitates Iuris in Teſtamentis condendis adhibendæ.

Rationes quibus Teſtamentum cõfutari poteſt.

1. Si de immobilibus ſummaué inſcripta aut obligatoria diſponat.
2. Si Teſtatori ſterili naſcatur filius poſthumus, cuius ſpe exciderat.
3. Si diminutus capite illud fuerit teſtatus.
4. Si Teſtamentum factum ſit contra pietatis officium, contra parentes vel liberos, qui

ſibi debent mutuum officium & charitatem: Sanguis proprius præponendus Fiſco & Eccleſiæ. Proinde dicit Auguſtinus: Qui vult Deum inſtituere hæredem, filium verò exhæreditare, alium quærat pro conſilio non Auguſtinum.

Tutor bona pupilli non alienet, neque vendat, neque limitet.

Tutoris bona, pignus pupilli.

Tutores non tantùm de cenſibus & iumentis, ſed etiam de bonis omnibus & eorum prouentibus rationem faciant coram Terreſtri Iudicio.

Tutoria triplex: Inſcripta, & hæc cæteris anteponitur, Naturalis, & Datiua.

Tutor eſſe non poteſt impar conditione & impoſſeſſionatus.

Tutores dantur pupillis minorennibus: Curatores licet adultis, mente tamen captis.

Tutor vxoris eſt maritus, quamuis ſit ei non æqualis genere.

Tutor ex linea matris conſanguineus eſſe non poteſt, nec accipi pro naturali Tutore; Idem tamen inſcriptus & datiuus eſſe poteſt, vel etiam attentiuus.

Teloneum à rebus proprijs Nobilium non exigatur.

Teloneum à bobus tributarijs vulgò *Powołoßczyzny*, & qui proprijs Nobilium frumentis ſaginantur, quod per factores boues agentes comprobetur, non exigatur ſub pœna centum Marcarum.

Item à frumentis in fundis Nobilium enatis & collectis, non tamen coemptis.

Item à ſilueſtribus mercibus.

Forum vbilibet ratione iniquè extorti Telonei, & Terminus peremptorius tanquam pro articulo officij, qui terram & diſtrictum non habet citra appellationem, pæna centum Marcarum cum reſtitutione in duplo, quod in vim Telonei extortũ eſt.

Teſtis vnus oculatus, pluris eſt quàm auriti decem.

Teſtimonium tantùm valet quantùm ſonat.

Si teſtium ſeu compurgatorum alicui, in iure campeſtri ignobilitas objciatur, reliqui ipſum expurgent, & admittatur ad iuramentum: ſalua contra inculpantem actione ſibi reſeruata.

TRIBVNAL REGNI.

Iudicia ordinaria generalia Tribunalis Regni inſtituta & ordinata in Anno Domi-

ni, Millesimo, quingentesimo, septuagesimo octauo, modo & ordine tali:

Electio Iudicum Deputatorum in vnaquaq; Terra & Palatinatu quotannis feria secunda proxima post festum Beatissimæ Virginis Mariæ fiat.

Electus causam propriam non iudicet.

Annuus idem.

Electus nonnisi infra quadriennium denuò eligatur.

Deficientibus alijs reliqui præsentes iudicent. Coram Iudicio Terrestri & Officio Castrensi iurent, clausula ad iuramentum adiecta: quòd in causis nullas consultationes conferrent, practicam non facient & cautellas, munera non accipient, & officium id non ambierunt.

Ex Regestro ordine per Palatinatus & districtus iudicent, né latum vnguem à Iure publico recedendo. Decreta ex scripto, duorum triumué Deputatorum manu subscripta ferrant & promulgent.

Maior pars votorum sententiam cõcludat.

Causæ spiritualium ibidem iudicentur per Iudicium bissenum ex spiritualibus & secularibus hac sex illa sex à parte deputatis,

compo-

compoſitum; paritate ſententiarum intercedente, remittatur cauſa ad Conuentum Regni Generalem.

Decreta tantæ ſint auctoritatis, valoris, & ponderis, ac ſi Conuentionalia Regni. Cauſas Terreſtres, Caſtrenſes, Succameraríales, Colloquiales, Commiſſoriales, (in cauſis diuiſionis bonorum) per motiones deuolutas, nec non officij iudicent, exceptis cauſis merè criminalibus, quæ ad Conuentum pertinent, Fiſci, iuris Maydeburgenſis, Teutonici, & Culmenſis.

Locus Iudiciorum Maioris Poloniæ Palatinatibus Petricouia: Minoris Lublinũ.

Securitas Iudiciorum: Nemo eò armatus accedere audeat, ſub pœna quinquaginta Marcarum: Occidens aut vulnerans pæna Statuti puniatur, non ſecùs ac ſi in Conuentu Regni id fecerit.

Tempus Iudiciorum Petricouiæ à feria ſecunda poſt feſtum S. Martini ad Dominicam Iudica. Lublini à feria ſecunda poſt Dominicam Conductus Paſchæ ad feſtum S. Bartholomæi.

Decretis contradicens pœnam centum Marcarũ luat illicò, & turrim per octiduum ſuſtineat.

Iudicium Terreſtre illius Terræ aſſideat, ad ſecreta Iudicij iuret, ſententiam tamen non dicat. Citationes ad Tribunal ſub ſigillo Terreſtri & integro titulo Regio edantur.

Inſcriptiones, Recognitiones, Relationes, Iudicij eius, ſeu coram recognitæ, tanti valoris ac momenti, quanti Conuentionales aut Terreſtres.

Capitanei & eorum officia omnia Decreta huius Iudicij exequātur ſub pænis Statuti. Salarium Iudicum à quolibet Decreto groſſi quindecim, Spirituales ſuos Deputatos prouideant.

Reformatio eius Iudicij in Conuentu generali Regni communi omnium conſenſu libera.

Tandem poſterioribus Conſtitutionibus Regni, ad iuramentum clauſula adiecta, ſecreta Iudicij non reuelabo:

Cauſæ ex paritate votorum ſeu ſententiarum, non ad Comitia Regni Generalia, verùm proximum Tribunal remittantur, quæ in exordio ac principio Iudiciorum decidantur, ſimiliter cauſæ alicuius Iudicum propriæ ex quo Iudex affectante citato, remittantur ad proximum Tribunal.

Pænæ dictæ *Kocz* Iudicibus inferioris subsellij redargutis debitæ ijsdem addictæ Iudicibus.

Causæ expulsionum & exemptionum inter causas conseruatas feriæ quintæ introductæ.

Regestra causarum aduocandarũ per Marschalcum eius Iudicij subscribantur.

Tempus Iudiciorum tam Petricouiæ quàm Lublini dilatatur & amplificatur. Petricouiæ videlicet à festo Sancti Francisci sumant exordium, Lublini verò ad hoc idem terminentur.

Terminus tactus nisi in circuitu & ambitu Ciuitatis vbi sunt Iudicia detur, & si securitas euntis & redeuntis ad Tribunal & è Tribunali violaretur.

Iudicio Terrestri sua sit autoritas secundùm leges antiquas integra Iudicijs Tribunalitijs assidenti.

V

VEritatis simplex oratio. Veritas simplex nuda luculentior est, quia satis per se ornata est, additis ornamentis extrinsecus fucata corrumpitur.

Varians in iure non est audiendus.
Vim vi repellere licet.
Vir bonæ famæ propior ad euadendum: Ter Regestris maleficorum notatus non censetur esse bonæ famæ.
Vno Iure omnes iudicentur.
Vna sit iudiciorum forma, sublata contrarietate.
Vnusquisq; liberè vtatur re sua propria pro libito suæ voluntatis.
Vxor sequitur Iura & Conditionem mariti.
Vxor cum lectum mariti ascenderit, per illam copulationem eidem in genere coæquatur.
Vxor viro nihil inscribat sine amicis.
Vxore præmoriente priusquam suus maritus, pro dote illi reformata tanquam pro simplici debito vir respondeat. Præmortuo autem marito superstes vxor possessione bonorum reformationi obnoxiorum gaudeat. vna cum successoribus suis vsque ad exemptionem.
Vxori diuortiatæ dos restitui debet.
Vxor cum non sit diuortiata viuente marito cùm quo propter austeritatem & malitiam eius viuere non vult, dotem suam vindicare nequit, similiter aduitalitatem.

Vxor habens maritum bannitum, tanquam ciuiliter mortuum, poteſt agere ſine aſſiſtentia illius, cum aſſiſtentia tamen amicorum ſuorum conſanguineorum.

Vidua, mortuo marito parafarnalibus duntaxat ſit contenta, theſauro, pecunia, argento, equis, equireis, armis ad pueros deuoluendis: Pecora tamen & alia quæ doti & dotalicio obnoxia fuerint, vna cum equis quibus viuente marito vehebatur retineat.

Veſtes verò & equos minoris præcij, id eſt, trium Marcarum cum pueris diuidat.

Vidua ſui Iuris eſt, liberè ſuis rebus diſponere, recognoſcere, inſcriptiones, iure agere ſine cuiuſquam amicorum aſſiſtentia & adminiculo poteſt.

Vidua inchoans cauſam poſtea pendente lite nacta, maritum debet poſt mutatum ſtatum cum aſſiſtentia ipſius adcitare, quia ceſſauit eſſe ſui Iuris.

Virginem nubilem ſi Tutor aut Frater locare in matrimonium negligit, poteſt ipſa cum ſcitu & conſenſu conſanguineorum remotiorum nubere.

Vulnera nobilium in duplo ſoluantur, ſanguineum ſeu cruentum Marcis viginti, liuidū

Marcis

Marcis ſex, vulnus cruentum in facie, & amputatio digiti Marcis triginta, excuſſio dentis Marcis viginti. Mutilatio in manu, pede, naſo, oculo, dimidio præcio capitis, videlicet centum viginti Marcis taxantur & æſtimantur.

Vulnus bombardæ ictu inflictum in alio duplo ſolui debet.

Vulnera plebeiorum in duplo ſoluantur, videlicet cruentum Marcis duabus, tertia domino. Tandem ad aliud duplum nunc poſteriori Conſtitutione aucta hæc taxa vulnerum plebeiæ perſonæ, etiamſi iocando lædas, pro vulneribus tamen ſatisfacias.

Vulnerum obductio in Officio Caſtrenſi fiat, circa quam Actor propior eſt reum & inculpatum pro vulneribus mettertius conuincere.

Vulnerans aut occidens Nobilis Nobilem, ictu pixidis ſeu bombardæ ſtudioſè & data opera, idque ex ſcrutinijs manifeſtum apparuerit, ad pænam perpetuæ bannitionis damnetur. Forum in Iudicio Capitaneali vbi cædes patrata fuerit; excepto caſu inuaſionis meræ domus, hoſpitij, & obſeſſionis viæ publicæ, de quo ſcrutinium & dili-

& diligens fiat inquisitio : salua appellatione ad Tribunal proximum in duabus septimanis proximis.

Violentiæ in Ciuitate commissæ vindicandæ processus.

1. Nobilis in Ciuitate pro violentia in recenti captus detineatur in prætorio.
2. Officium Ciuile Officio Castrensi adiuncto captum iudicet, quorum concors sententia captiuum condemnat. Discorde porrò Officio vtroque in sua sententia, informatio à Sacra Maiestate Regia petatur, iuxta quam Nobilis puniendus.
3. Ab officio Capitaneali condemnati in potestate ciuium, ab officio eodem absoluti, Capitaneali in Castro ad informationem sub custodia detineantur.
4. Iniustè detento, & per sententiam definitiuam libero pronunciato, Ciues pœnam sexaginta Marcarum soluere tenentur,
5. Metas huius legis excedente officio Ciuili, Proconsul cum vno Consule plectantur capite. Prærogatiuam Cracouienses, posnanienses, Leopolienses ciues eam habet ex vi Constitutionū Regni Generalium concel-

cessam & attributam, quod quamuis violator manus eorum fuga euaserit, & capi nō poterit, violentiam eam nihilominus ad instar Nobilium iure vendicare possint.

Vis & violentia Mercatori cuiuscunque fuerit conditionis, in receptis mercibus illata, iuxta Constitutionem Anni 1589. in quouis officio, tanquam in causa iniusti Telonei iure vindicetur.

Venditor à vi & violentia emptorem euincere non tenetur, sed tantùm ab impedimento iuridico.

Vigilantibus non dormientibus Iura subueniunt, & suffragantur.

Volenti non fit Iniuria.

Volenti nihil difficile.

Vita Rustica quam aggrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est.

Vir bonus etiam suspicione carere debet.

Vir bonus est, qui prodest, quibus potest, nocet autem nemini.

Vir bonus & sapiens est, qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat, quo multæ magnæque secantur iudice lites.

APPEN

APPENDIX
De Processu Iuris, propter Tyrones practicæ iuris studiosos.

OMnis actio ad quodcunque Regni subsellium originaliter intentata, duplici modo prosequitur.

Aut processu Iuris in Contumaciam Citati, pro termino nec per se, nec per suum mandatarium comparentis, immò temerè & rebelliter Iuri sese subtrahentis.

Aut per Controuersiam; Citato per se vel suum Plenipotentem, ad causam in Iudicio seu officio sese præsentante, & Iuriparente.

Processus Iuris in Contumaciam est duplex: Alter primitiuus seu originalis: Alter exequutorius.

PROCESSVS ORIGINALIS.

In primo itaq; primæ seu originalis Citationis Termino, condemnatur Citatus ab Actore in pœna Contumaciæ: exceptis causis primi peremptorij Termini.

Deinde in secundo secundæ Citationis post obten-

obtentam in Termino primo pœnā Contumaciæ emanatæ, Termino, condemnatur in lucro.

Tandem in Tertio ſuper concitátionem ad ſatisfaciendum pro condemnatis lucri editam Termino, in Aſtitione Termini concitatorij ſatisfactorijq́ue. Poſt aſtitionem, additur Actori Miniſterialis Generalis Regni cum duobus Nobilibus, ad intromittendum ipſum in bona Citati iureuicti lucris & perlucris onerata, cauſaq́; ipſa pro exequutione vlteriori perlucrorum ad loci vbi bona ea conſiſtunt Capitaneum, ſeu Capitaneos, Officiumq́ue ſuum Caſtrenſe, tanquam brachium Regale admittitur.

Terminus autem primus in his cauſis peremptorius:

1. Ratione iniquè exacti Telonei.
2. Pro non adminiſtrata iuſtitia.
3. Pro ſubdito profugo.
4. Pro exemptione bonorum obligatorum, exceptâ exemptione dominæ reformatoriæ, cui non eſt primus peremptorius Terminus.
5. Ad Inſcriptiones: exceptis ſucceſſoribus quibus ad inſcriptionem ſui anteceſſoris

primariè

primariè in Ius vocatis, ex beneficio legis, non est primus etiam ad inscriptionem peremptorius Terminus in pœna Contumaciæ condemnandi.

6. Causa recentis criminis ad Officium Castrense intentata, à natura sua quod recens vocetur, habet primum peremptorium Terminum.

7. Ratione retentæ Contributionis publicæ.

PROCESSVS IN EXEQVVTIONE.

In gradu primo exequutionis vigore remissionis suprascriptæ, referenda inprimis ad Acta Officij illius Capitanealis executorij Relatio Ministerialis & Nobilium denegatæ Intromissionis in perlucris, ipsæq; perlucrorum literæ autenticæ offerendæ.

Post relatam & recognitam, ac perlucra oblata super Innotescentiam exequutorialem brachij Regalis subinde extraditam, in primo executionis Termino in Iudicijs causarum officij, seu Querelarũ condemnatur Citatus seu Innotescitus in Astitione Termini innotescẽtiæ exequutorialis brachij Regalis, postquam denuò ab officio illo Ministerialis cum Nobilibus ad intromitten-

mittendum vigore ſuorum perlucrorum: Actorem in bona iure uicti additur, vadia triplicata perlucris correſpondentia de nō deneganda interponuntur.

Vocatur hæc (Aſtitio innoteſcentiæ primæ exequutorialis cum interpoſitione vadiorum Triplicatorum) condemnatio.

Porrò in ſecundo exequutionis Termino poſt denegatam vigore interpoſitionis vadiorū Triplicatorum Intromiſſionem affectatā, & poſitas literas Triplicatorum, relationemq; hoc nomine factam, ſuper alteram Citationem exequutorialem condemnatur Citatus in vadijs triplicatis cum rumatione, vbi decernuntur vadia triplicata, Burgrabius (alibi verò locorum Vicesgerens Caſtrenſis) Miniſterialisq; cum Nobilibus, ad rumandum Citatum de bonis ſuis, partem verò Actoream intromittēdum, additur. In hac Citatione, quod medietas vadiorum Triplicatorum ſeruiat Capitaneo, adijcitur inſtantia Inſtigatoris Officij ad partem iure uincentem.

In tertio deniq; executorio Termino, qui eſt Iudicij & Terminorum Capitanealiū poſt relatam ore Burgrabij vel Viceſgerentis

Ministerialis & Nobilium denegatam rumationem, super Citationem literalem ex instantia Instigatoris officij & partis iureuincentis, (quam delatorem appellant) contra Citatum ad banniendum editam, condemnatur Citatus tanquam rebellis iuri communi Regni contrauueniens, & brachio Regali sese temere opponens, in poena bannitionis, & de Regno Poloniæ dominijsque sibi annexis proscriptionis, ac illicò Bannitus & proscriptus pronunciatur & publicatur.

Post latam & promulgatam bannitionem ex beneficio iuris publici, (quod est mater non nouerca) habet iure uictus inducias duodecem ab obtenta bannitione septimanarum proximarum, vt possit interea cum Iure uincente componere, inscriptiones pacificationis sui gratia recognoscere, bonis disponere, ea vendere, alienare, Creditoribus porrò & Iure uincentibus satisfacere, vel ad cassandam bannitionem ad Tribunal Regni Capitaneo vbi ea obtenta fuerit, & iure uincente adcitatis, iure agere, ac Iuris remedijs conuenientibus ea sese explicare.

Quod si intra id temporis rem non transegerit, ad cassandum agere neglexerit, consequitur exequutio sortis finalis Capitanealis, quam Capitaneus mota terra seu districtu iurisdictionis suæ proprio, in persona & bonis banniti, secundùm præscripta legum & Statutorum Regni, sub pœnis contra negligentes Officiales sancitis, præstare & exequi tenetur. Quod si spontè non fecerit ad requisitionem victoris, facultatem habet liberam & integram pars iure vincés actorea eam iuridicè vindicandi, contra Capitaneum remissum pro pœnis (adcitato eo nihilominus iure victo) iure agendi, ipsamq; exequutionem Iure euincendi.

Præterea ratione Complicitatis tàm realis, quàm personalis, personas, bona banniti tenentes, Bannitum domi suæ asseruantes, fouentes, secum conuersantes, palamque bannito in leuipendium Iuris publici patrocinantes, ad Iudicium Capitaneale pro simili pœna bannitionis citandi.

Pro potioritate denique iurium possessores prætextu iuris alicui⁹ bona iure victi possidentes, ad Iudicium Terrestre conueniendi, Iuraq; sua euincendi, quoad finalem

iuxta

iuxta Iuris communis obseruantiam in talibus fieri solitam, Causæ suæ sortiatur Iuris effectum & satisfactionem.

Isq; in Causis Ciuilibus seruatur in Contumaciam Citati Iuris processus: sunt tamen certæ causæ in quibus è vestigio post lucrũ obtentum sequitur iudicatum, & exequutio, videlicet Diuisionis, Expulsionis, Exemptionis, & Limitum, vbi in vim lucri decernitur Diuisio, Reintromissio seu reinductio in bona, Leuatio summæ, & de bonis condescensio: Actoratus cum remissione ad ius Campestre succamerariale.

In criminalibus causis, exceptis recentis criminis post obtentam in Termino primo pænam Contumaciæ, in secundo secundæ Citationis Termino, Citatus ab Actore condemnatur in lucro pænarum Legum: In vim autem lucri pænæ legum, videlicet infamiæ aut perpetuæ bannitionis: In causis autem publicis, infamiæ, capitis & confiscationis bonorum, iuxta qualitatem actionum decernuntur & promulgantur.

In Conuentionalibus autem Causis Criminalibus Citati ad maiorem innocentiæ suæ declarationem, non patiuntur sese in pœ-

na Contumaciæ condemnari, verùm super primam Citationem offerunt, voluntque iure experiri, faciuntque sibi eo facto illum ex decreto experimenti peremptorium Terminum.

Post latas & publicatas legum pœnas, duplex consequitur exequutio: Respectu quidem criminis patrati in persona infamis: Respectu autem mulctæ pecuniariæ pro capite cæso, si cædes admissa fuerit, aut vulnera, damnaq́ue circa violentias illata fuerint, in bonis iure uicti.

Contra impossessionatos possessione bonorũ Terrestrium carentes Nobiles, in causis ciuilibus breuior fit in sui contumaciam processus: Nam obtenta in Iudicio Capitaneali pœna Contumaciæ primo in Termino: secundo verò lucro: tandem in tertio astitione Termini concitatorij: consequitur in quarto Termino ipsa pœna bannitionis, & exequutio in persona duntaxat (siquidem bonis careant) bannitorum.

Condemnantur quoq́; ipsi Actores pro Termino seu Terminis per se vel suos Plenipotentes non comparentes, in sui Contumaciam quæ maior est quàm rei, in euasione

perpe-

perpetua citationis & causæ, per quam fit amissio & iactura causæ ipsius, & rei quam lucrari intendebant: exceptis causis certis puta Diuisionis bonorum, exemptionis bonorum, Granicierum seu Limitum, ad inscriptiones seu executionis rei iudicatæ quæ euasione non tolluntur.

In Criminalibus autem actionibus Actores per euasionem super se à Citatis obtentam, non tantùm causa sua labuntur, verùm etiam pænam Talionis subeunt, dùm in euasione citationis & causæ cum adiudicatione pænæ Talionis condemnatur.

PORRO PER CONTROVERSIAM VBI:

REI Conuenti seu Citati duplici modo contra Actores solent procedere, & onus actionis elidere.

Ad querellam etenim seu propositionem Actoris in Ius vocati comparentes, aut certis Iuris diffugijs, quæ dilationes & exceptiones vocantur laborant, iuxta Regulam Iuris: Quamdiu me non debere respondere defendo, tam diu non respondeo.

Aut ijs posthabitis in principali negotio, de-

re, materia, ac quæstione proposita, prima fronte ac in primo causæ limine, cum Actoribus iure experiuntur.

Experimentum id Iuris visitato forensi vocabulo vocatur Litis contestatio, à contestādo, quòd Citatus re ipsa in lite se velle de principali negotio sine quibusuis ambagibus, experiri testetur.

Liberum quippè est Citatis aut dilationibus & exceptionibus vti, aut contestim in primo congressu litem contestari.

DILATIONES.

Dilationum: Aliæ sunt simplices, quæ nullis egent probationibus, videlicet ad Munimenta causæ necessaria, & simplicis infirmitatis: Aliæ peremptoriæ, vt potè ad Munimenta literatoria specificata, veræ infirmitatis, minorennitatis, ad euictorem è munimentis apparentem conueniendum. Dilatio Visionis, Pro maiori, Ad quietationem producendam.

Veræ infirmitatis dilatione reponitur, Terminus per nuncium Nobilem possessionatum Terræ & districtus, rei conuenti propriorū. lubricæ sunt dilationes: Ad munimenta specifi-

ſpecificata, veræ infirmitatis, pro maiori, & producendam quietationem.

In defectu namq; ſatisfactionis ſequitur ſuccubitio in cauſa. At poſt alias dilationes receptas, & non probatas, vt potè ad euictorem, minorennitatis, viſionis, reſtat vlterior controuerſia: Sub genus dilationum cadunt legalia impedimenta, necnon legatio publica extra Regnum, & ſeruitium militare Reipublicæ.

Ante omnes inferri debent exceptiones, præterquam veræ infirmitatis, quæ etiam poſt litem conteſtatam in puncto Iuramenti, etiam in vltimæ inſtantiæ Iudicio in perſoli actu locum habet dilatio.

Actoribus autem quibus licitum eſt cauſam ſuam protrahere, dilationes ad docendum de Termino aut Miniſterialem ſtatuendũ deductionem Proceſſus, Munimentorum ſimplicium & ſpecificatorum, necnon veræ infirmitatis, & pro maiori, (quod enim licet reo, licet & Actori) ſemper ſunt liberæ, excepta ſimplici infirmitate.

In Criminalibus datur aliquando citatio, vel parti vtrique ad ſcrutinium, vel inquiſitionem expedienda dilatio: in cauſà verò ci-

uili expulſionis dilatio vtriq; parti ſeruit, inquiſitionis.

ACCESSORIA.

Exceptiones autem, quas vulgò Acceſſoria appellant, ſunt duplices: Simplices quidem, quæ tantùm Terminum tollunt: Peremptoriæ quæ perimunt forum, Actorem, & actionem.

Simplices pugnant contra Terminum, poſitionem Citationis, & ipſam Citationem.

TERMINVS.

Acceſſorium ſimplex ſeu exceptio in acceſſorio ſimplici infertur inprimis contra Terminum, dum quæritur vnde Terminus? ſi ex cruda (vt aiunt) citatione prouenire dicatur; Extunc Miniſterialis ſtatuendus iuxta Regulam: nemo reſpondere tenetur niſi viſo Miniſteriali, aut dilatio ad ſtatuendum petenda, qui cùm non ſtatuitur relatio deeſt, libertas citati à Termino pro illa vice conſequitur.

Si ex Termino conſeruato dilationis ſeu dilationum, ſcriptionis Termini ſeu generalis ſeu ſpecialis, Reiectionis, ſuſpenſioniſuè Cauſæ, Decreti alicuius, & ex Areſto Terminus

minus promanat conseruatus, tunc Actus præcedentium instantiarum dilatio, scriptio Termini, suspensio, Decretum, & Arestum demonstranda: si non demonstrentur, liberatur quoque ab illo Citatus pro ea vice Termino.

POSITIO CITATIONIS.

In positione Citationis duo obseruanda: Tempus & Locus. Quoad Tempus: non in arctiori quàm legibus est præfinitum tempore; verùm tempestiuè, vt Citatis innotescant, & super responsionem maturā habeant deliberationem, Citationes sunt ponendæ, alioquin ob intempestiuam citationis positionem fit libertas citati à termino pro ea vice.

In causis Ciuilibus, Terrestribus, aut Castrensibus, vna ante Terminum septimana.

In Criminalibus porrò Castrensibus & ad deducendum scrutinium duabus ante Terminum septimanis. Ad Tribunal Regni duabus ante Terminum septimanis.

Ad Comitia seu Conuentum Regni Generalem in causis publicis criminalibus & pro exemptione bonorum Regalium sex ante

Termi-

Terminum ſeptimanis, quæ etiam illæ criminales, in Conuentibus particularibus ſeu prouincialibus generalem præcedentibus ſunt publicandæ Citationes.

In cauſis verò Criminalibus, inter priuatas perſonas Sacra Maieſtate Regia in oris Poloniæ Maioris agente, contra Regnicolas Minoris Poloniæ: & è contra ſua Maieſtate cum ſua Curia in oris conſtituta Poloniæ Minoris contra Regnicolam Maioris, quatuor ante Terminum ſeptimanis: Earum verò Terrarum in quibus Sacram Maieſtatem Regiam agere contigerit, Incolis & Indigenis parte ex vtraque duabus ante Terminum ſeptimanis, per Miniſterialem generalem cum duobus Nobilibus Citationes ſunt ponendæ.

Commiſſoriales denique Innoteſcentiæ ad diſlimitanda bona Terreſtria cum Regalibus, duabus ante Terminum ſeptimanis per Miniſterialem cum Nobilibus ponatur.

Locus ponendarum: Contra poſſeſſionatum in Curia ſua terrigenali ſedis & reſidentiæ ſuæ capitalis, ſiue apud Vladarium, Cmethonem, & Hortulanum villæ ipſius, poſitio nihilominùs in Curia annuncianda, deficiente

ficiente autem ibi Curia villanis publicanda. Jn villa autem deserta, ligno discisso introligata humi fixa in villa propinquiori aut Parochia vicinis & Parochianis promulganda & diuulganda.

Contra impossessionatum in Parochia ad valuas Ecclesiæ affigenda, & frequentantibus Ecclesiam denuntianda, in ea scilicet Parochia vbi ille antea erat possessionatus, aut natus est, vel eo loci vbi in præsentia commoratur, vitamq́ue agit, aut ad manus proprias sibi tradenda.

Citationis ipsius vtrum sit ordinata necne? inter simplicis accessorij exceptiones reputatur examen ad quod hæc requiruntur circumstantiæ.

Jnprimis Titulus sub quo in lucem prodit, Termininus ad comparendum, certus assignatus, & ipsius Citationis de tempore data circumscripta.

Deinde nomen proprium cognomenq́ue Actoris, & rei seu citati.

Ad extremum norma ipsius, Citationis Essentia videlicet seu Materia causæ, cum sufficienti diserta & expressa per narrationem temporis, loci, qualitatis, quantitatis, valoris

loris

loris rei ac iniuriæ principalis circumſcriptione: occaſio vulgariter dicitur.

Jn Ciuilibus Taxa vel vadium, in Criminalibus pœnæ legum proponuntur: corrigitur quippe ſex Scotis parti & Iudicio totidem ſoluendis, Scotum duobus groſſis æſtimando Citationis, ratione Tituli, nominis, & ſigilli defectus.

Citatio ſubdiuiditur in ſpecies, Originalis quidem ſimpliciter dicitur Citatio: Ad ſatisfaciendum autem pro condemnatis lucri, Concitatio vernacula lingua, *Przypowiaſt* vocata. Deinde adcitatio: Inprimis reuiuificatoria poſt mortem alicuius ex litigantibus ſtante lite euenientem, contra ſucceſſores demortui & ſuperſtites litis cōparticipes directa. Item, poſt mutatum ſtatum fæmineum, vt pote virginalem aut vidualem in coniugalem. Item ad proſequendam motionem ſeu appellationem non admiſſam. Item poſt Decretum aliquod libertatis. Item, poſt terminum tranſlapſum. Item poſt exactos annos minitennis. Ad extremum poſt ceſſionem Iuris & innouationem noui hæredis, ſeu poſſeſſoris bonorum, ad paratam cauſam

per

per modum adcitationum solent edi, & scribi Citationes hac forma: Qui te citat seu adcitat, &c. &c.

Innotescentia denique, quæ sapit vim Citationis qua in Termino exequutionis post obtenta perlucra conueniuntur Citati, qui inde dicuntur Innotesciti: Est porrò Innotescentia, quasi significatorialis Citatio, cùm Citatus de perlucris super se obtentis certior redditur: Conclusio tamen redolet citationem, dum scribitur compareas ad videndū & audiendū in vim vlterioris exequutionis brachij Regalis denuò Actorē ex officio nostro poteter intromitti, &c. &c.

In causa quoque dislimitationis bonorum Regalium Citatio Commissorialis per modum Innotescentiæ hoc verbo: Innotescimus, ac si dictum fuerit significamus, scribi solet: Mandamus autem præsefert efficaciam Citationis.

Hoc loci notandum: Cùm is ordo sit inferendarum Exceptionum, Forum, Actor, Actio, Citatio: consequitur exceptionem præallegatam contra Citationem, posteriorem in ordine, post exceptiones nimirū fori, Actoris, & Actionis locum habere debere:

bere: hîc verò ne misceantur peremptoria cum simplicibus inter simplicis accessorij exceptiones expositam esse, verùm iuxta ordinem post actionis absolutam exceptionem eius vsum esse genuinum; nam cum statim Citationi cõtradixeris videris agnosci forum, actorem, & actionem, ideòque demum post præfatas fori, Actoris & actionis exceptiones, citatio modo præmisso examinanda.

Dicunturq; in generali hæ exceptiones prænarratæ, contra Terminum, positionem Citationis, ac formam ipsius, simplicis seu leuis accessorij, & cum super, inductas Decreta contra Citatos proferuntur, ab ijs vti â leui accessorio, quo Terminus tantùm perit, nullatenus interpositæ admittuntur Motiones.

Sequuntur peremptoriæ licet Accessoriales exceptiones, quarum primaria est fori declinatoria exceptio.

F O R V M.

Forum hoc loci intelligendum est Iudicium seu officium illud, ad quod reus conuenitur, citaturuè cuiuscunq; rei, summæ pecunia-

cuniariæ, bonorum, iniuriæ, ac violentiarum prætensarum ratione.

Fori proprietas inprimis ex varietate ac diuersitate actionum colligitur.

Actionum genus duplex, Criminale & Ciuile.

Actiones merè seu maximè, Criminales, quæ dicuntur honoris, spectant ad Conuentum Regni Generalem, Iudiciumque Comitiorum Sacræ Maiestatis Regiæ, quæ est supremus honoris Iudex, iureq; & meritò illud idem Comitiale vendicant sibi forum, seu Iudicium.

Actiones item Criminales, sunt Castrenses, partim Iudicij Capitanealis, Articulorum videlicet Castrensium, inuasionis domesticæ, Incendij, violationis fæminarum, & dispercusionis stratæ publicæ, qui nullibi præterquam in Iudicio Capitaneali iure vindicari queunt: Partim officij Castrensis, vtpotè Criminis recentis causæ, ad Constitutionem Regni de securitate publica Iudiciorum & Conuentuum publicorum laudatam directæ, quæ inde ad Tribunal Regni per viam Motionis inter causas recentium criminum in duabus septimanis proximis deuolutæ, ibidem in principali

(præuia in officio Castrensi inquisitione) finalem suum sortiuntur Iuris effectum & decisionem.

Ciuiles porrò Actiones, sunt aut Terrestres pro iniurijs personalibus, realibus & superficialibus, & id genus aliæ, Iudicioq; Terrestri merè competunt: Aut Castrenses ad querelam, ad inscriptiones, ex vi remissionis pro exequutione, ac aliæ legibus Regni definitæ, quibus in officio Castrensi ob celeriorem Iuris effectum, forum indicatum & præfinitum est. Aut Capitaneales, quæ Iudicio Capitaneali merè competunt.

Deinde respectu personarum forum pensandum: Nam iuxta Regulam Iuris, Actor sequi debet forum rei. Possessionata igitur persona ad proprium & competens iurisdictionis suæ, cui respectu bonorum suorum subest, conuenienda est forum, seu Iudicium, neque è suo districtu proprio in alium euocanda, sub euocationis pœna, quæ est quatuordecem Marcarum: Impossessionata verò persona, eius ipsius Capitanei, sub cuius versatur iurisdictione, subest Iudicio.

Ex incompetentia quoque Actoris & actionis interdum

interdum arguitur forum: Verùm cùm hæ distinctæ & singulares sint exceptiones inprimis fori fit cognitio.
Iudicis quoque persona æstimanda: An habilis, pleni iuris, possessionata, iurata, autenticaque sit persona? Subtitutiones & surrogationes alterius personæ in locum Iudicis nisi fuerit legibus Regni approbatæ fieri non possunt validæ.
Excepta causa Iudicis propria, ad cuius actum licet Iudici personam aliquam idoneam in locum suum subdelegare, & coràm subdelegato causam eandem absoluere.
Ex nullitate & incompetentia fori sequitur processus nullitas maxima, siue in Contumaciam, siue per controuersiam obtenti: Praxis tamen obtinuit, cùm Citatus Actorem in foro incompetenti in euasione condemnauerit, eaque euasio arestata ab Actore fuerit, hac condemnatione Citatum agnouisse forũ, nec illud subterfugere posse.
Per inscriptionem quodcunq; sibi recognoscens assignârit respondendi forum, etiam extra suum competens, ibi respondere, & legem quam sibi tulit tolerare tenetur.
Nemo namque iuxta Regulam Iuris dero-

gat Iuri suo, nisi per propriam recognitionem.

ACTOR.

Altera exceptio peremptoria contra Actorem per obiectionem incompetentis Actoris.

Hîc inprimis cernendum est; vtrum Actor sit pleni Iuris? An non infamis, bannitus, proscriptus, & publicatus? & exinde habeatne in Iudicio locum standi? In Criminalibus tamen actionibus, vbi agitur de honore, obiecta bannitio Ciuilis non obstat ad vindicandam causam honoris, quæ est maioris seu maximi momenti.

Jtem minorennis an adultus? sin minorennis, vtrum cum Tutorum agat assistentia? qui si fuerint diuersi & sibi dissentientes: Exempli gratia: Naturales cum inscriptis seu datiuis concurrant, tunc inprimis inter se de legalitate Tutoriæ Iure experiri tenentur: Maritata cum mariti, virgo Tutorum, mente captus amicorum aut curatorum à sacra Maiestate Regia assignatorum, subditus domini sui assistentia & authoritate agere debent: Deinde respectu Conditionis præcipuè in personalibus iniurijs, puta cædis, vulnerum,

perum, carcerum, & aliarum quarumuis violentiarum personam tangentium, competentia Actoris diiudicanda. Nobilisne sit an plebeia persona? vbi si ignobilis & plebeia persona vsurpato sibi nobilitari titulo, genere, & conditione Iure nobilium pro aliqua personali contra nobilem agat iniuria: objiciente sibi citato imparitatem Iuris & ignobilitatem, tenetur iuxta dispositionem Legum Regni suam deducere nobilitatem; porrò deducta actionem principalem, quæ ad deductionem fit in suspenso, prosequi: In qua si Citatus deductione defecerit causam illam amittit, ac insuper pœnas luit: si deduxerit viceuersa & in contrariũ actor temerariæ obiectionis pœnas dat, & in principali causa sese iustificare tenetur. Si plures sint actores coniuncti in causa, sufficit vnius ad causam promouendam præsentia. Ex materia quoq; subiecta actionis, incompetentia Actoris conijcitur, cum Actor pro aliena agit iniuria, vel ad alienam inscriptionem, vsufructuarius Dominus dominaue pro iniuria hæreditaria fundum tangente, pariter subditus (iuxta Statutum de reribus) agere nequeunt.

Vxor tamen & remotiores amici silentibus seu per negligentiam, seu per conniuentiam, seu per inscitiam proximioribus, pœnam publicam Turris ratione occisi capitis Iure vindicare & euincere possunt: nec non pro eliberatione captiui de carceribus, non tantum amici, verùm seruus pro Domino, Dominus pro seruo agere possunt.

Actoribus quoq; diuersis duobus pluribusuè pro vna eademq; re, ac pro vno & eodem Termino concurrentibus, non tenetur Citatus respondere, quoad inter se inuicem Iure experiantur: Actor tamen interceptor actionis, qui post multas principalioris Actoris instantias subsequenter sese in causam insinuare voluerit, reijcitur.

Insuper è fontibus Iuris pro qualitate causarum multa contra competentiam Actoris depromuntur argumenta.

Persona quoque ipsius rei seu Citati ex ijsdem consideranda circumstantijs: Ratione Iuris an sit pleni, Bannitus necne? Ætatis & discretionis: Minorennis an adultus? cōpos rationis, an mente captus? Sexus virgo, maritata, vidua? hæc sui iuris, illæ absque Tutorū & mariti assistentia agere nequeūt.

Actio

ACTIO.

Ea competens esse dicitur actio, quæ de iure competenter datur, instituitur, dariq́ue & institui potest. Si Iuri publico, æquitati, pactis contractuum, inscriptioni, praxi communi, ac ipsi rationi fuerit consentanea, de lege, æquitate, natura pactorum, inscriptione, praxi communi ac ipsa ratione suadente competens esse probatur.

Si dissona, metas legis, æquitatis, pactorum, inscriptionis excedat & transiliat, contra vel vltra naturam sancita, & præscripta legis, tàm publicæ quàm priuatæ, extendatur, incompetens & incoueniens omninò est ista actio: ijsdem quoque quibus Actor ita ipsa actio confutatur, & oppugnatur rationibus & argumentis.

Quæ cùm latè pateat, & ipsa ratiocinatione constet, ad certos reduci non potest Terminos, exceptio.

In causis Terrestribus vsitatissimæ sunt hæ exceptiones, per obiectionem incompetentiæ actoris & actionis, à quibus præcipuè actionis tanquam peremptorijs exceptionibus, Decretisq́; contra Citatum desuper

latis ab adinuenta competenti actione, motiones citatis ad Tribunal Regni interpositæ, admittuntur: exceptis causis administrandæ iustitiæ ratione cædis & vulnerũ, & pro subdito fugitiuo, quæ moram non tolerant.

CITATIO.

Post exceptionem incompetentis actionis sequitur immediatè iuxta ordinem legitimũ inferendarum exceptionum contra Citationem exceptio, quæ vt præmissum est inter exceptiones simplicis, seu leuis accessorij posita & reputata est, hîc porrò pro suo debito ordine in toto reassumitur.

FATALIA & PRÆSCRIPTIO.

Exceptio seu obiectio fataliorum & præscriptionis succedit. Fataliorum quidem in processu, dum continuatio processus à sui inchoatione intra annum & sex septimanas intermittitur, aut ab obtenta aliqua in processu (excepta exequutione rei iudicatæ, seu post astitum terminum concitatoriũ vlteriori exequutione quæ ad trienniũ & trimestre durat) instantia.

Solent equidem actores translapsis Terminis proces-

processum fatalibus extinctum & abolitū resuscitare; verùm relationem post commissa fatalia depositis Citationibus factam, iuramento proprio liquidare tenentur.

Porrò præscriptio in re seu materia subiecta currit, prout qualitas rei, iniuriæ, materiæ, personarumq́; tulerit, quæ est legibus Regni circumscripta, ac suo loco denotata, ac insimul quib⁹ ipsa minimè noceat causis præscriptio.

Obiecta & non probata factum agnoscitur præscriptione.

Exceptionum harum præinsertarum simplicium & peremptoriarum gradus Decretorum triplex: Procede, Responde, Directè responde, quarum exceptionū in inferendo delectus, ne altera alteri deroget, habeatur.

LITIS CONTESTATIO.

Accessorijs absolutis instat litis cōtestatio, seu in principali directa responsio.

Hìc dupliciter Citati sese iustificant, præcipuè in Terrestribus iniurijs.

Aut factum agnoscunt, & satisfaciunt, seu offerunt satisfactionem. Aut negant, & volunt euadere, vel Actorib⁹ deferunt probationē.

Porrò Citato simpliciter negante, & ad euasionem sese non trahente, Actor contenta Citationis suæ probare tenetur: Non probante Citatus absoluitur.

Si verò Citatus personaliter stans coram Iudicio agnouerit factum, aut debitum decernitur absque quauis probatione satisfactio & solutio iuxta Regulam Iuris, vbi adest rei confessio, ibi non est necessaria actoris probatio: Sunt tamen certæ causæ in quibus de iure cedit actoribus probatio, præcipuè in causis vulnerum circa officiosam obductionem, propior Actor ad comprobanda vulnera.

In Terrestribus actionibus, post Actoris agnitionem aut probationem Citati, decernitur debiti quidem specificati solutio, pro iniuria verò & re, controuersa iuxta taxam Iuris seu Iudicis (præcipuè cùm defertur probatio salua moderatione taxæ) in proximis Terminis sub taxa in Citatione posita satisfactio.

In vltimæ autem instantiæ nempè Tribunalis Regni Iudicijs sub vadio vel taxa quæ iam exnunc in defectu satisfactionis decernitur, additur, remittitur.

In causis ad inscriptionem puri debiti in directa responsione expiratis gradibus exceptionum (quibus ad inscriptionem nullus datur de iure locus) decernitur solutio, sub vadio luita poena trium Marcarum parti & Iudicio totidem.

In alijs autem causis citata parte in directa responsione tergiuersante, siue etiam rebelliter à iudicio discedente, cùm gradus desint exemptionum, decernitur actoribus vlterior iuris processus super Citatis obtînendus, & condemnantur iuxta exigentiam Termini in lucro, aut alio quouis condemnationis genere, è causa illa scaturiẽte.

In eadem quoq; directa responsione, probationes literatoriæ, autentica documenta, Decreta, iudicata iura, possessiones, dispositiones, præcipuè in causis hæreditariæ quæstionis in statu iuridiciali, seu qualitatis, vbi de iuribus disputatur, plurimùm habent valoris & momenti.

In statu verò coniecturali, vbi an sit factum decertatur, deficientibus literatorijs, sequitur probatio vel euasio iuratoria, tanquam vltimarium iuris remedium.

In Criminalibus autem actionibus tota vis consistit

consistit in scrutinijs, e quibus patet facti & actionis qualitas, ijs lectis & examinatis, aut Actori conuictio, aut Citato decernitur euasio: Si innocentia inculpati ex scrutinijs liquidò apparuerit, pronunciatur de plano liber à causa, & super Actore decernitur pœna Talionis. At vbi Citatus iuramento seu euasione iuratoriâ factum diluerit, Actor pœnæ Talionis non subiacet. Interdum etiam liberato de plano Citato, Actor quoque quòd non temerè egerit, ab omni nexu iuris & pœnis quibusuis liber pronunciatur.

In causis Terrestribus, ratione profugi subditi, quarum ad præsens magna creuit copia, duplex est Citati in principali negotio responsio.

Aut per modum affirmationis, dum affirmat & probare intendit, subditum occasione cuius res est, esse suum proprium hæreditarium, per omnes præscriptiones Iuris pacificè per se possessum, vnde iuxta Statutum de possessore circa hæreditatem & possessionem suam propior est Citatus mettertius ad comprobandam subditi proprietatem.

Aut per modum negatiuæ, dum ait se subdi-

tum,

tum qui petitur in bonis suis non habere, nec ipsum Citationem circa se præuenisse, propriorq́; est eo nomine ad euadendum in proximis: Poterit tamen loco iuramenti si habeat subditum pro Termino ex Decreto iuramenti cadente illicò statuere & extradere.

Porrò si Citatus super alterutrum (quod in suo positum est arbitrio) iurare ipse nolit, liberam habet facultatem deferendæ actori (in prima tamen Iuris instantia) super proprietatem subditi & non admissam in agendo præscriptionem probationis Iuratoriæ, quam ille ex delatione Citati cum duobus testibus præstare tenetur, alioquin nî præstiterit, Citatus à causa liberabitur.

Si nouus hæres nacta nuper bonorum hæreditate, subditum reperierit, delataq́ue sibi fuerit à Citato probatio: tunc iuxta præiudicata vltimæ instātiæ, ad rotam Iuramenti, quod nec ipse, nec sui antecessores præscripserunt agere, addi debet clausula.

In his actionibus, nulla alia nisi veræ infirmitatis habet locum dilatio, ad mentem legis de Cmethone fugiente, vbiq́; iure Polonico in primo peremptorio Termino sine dilatione,

latione, (excepta vera infirmitate) iure repetendo laudatæ. Ne videlicet Dominus per protractionem & remoram, debito frustretur subditi officio, & laboribus.

Ideoque iure ac meritò ad sensum legis eiusdem sese accõmodando, semotis quibusuis procrastinationibus, stricto iure iudicantur istiusmodi actiones.

Cmethonis fugitiui cum vxore, liberis, pecoribus, pecudibus, ac tota supellectili domestica, Taxa quingentarum Marcarum, pluris æstimari non potest, sub nullitate totius actus.

Præscriptio à prima notitia vnius anni.

Supra insertis hæc quoque adijcitur, non postrema imò legalis ratione fugitiui Citati defensio, asserentis quod subditus is qui iure vindicatur impossessionatus duxit in matrimonium subditam suam possessionatam, si ita se res habeat: Eam tamen ipsemet Citatus fundi Dominus iuramento suo proprio liquidare tenetur assertionem.

Cætera in foro versantem docebit vsus, & experientia.

APOPH-

APOPHTEGMATA De Iuſtitia, Magiſtratu, ac Legibus.

AGESILAVS ſciſcitatus, vtra virtus eſſet præſtantior? Fortitudo an Iuſtitia? grauiter reſpondit: Fortitudinis nullum vſum eſſe, niſi adſit Iuſtitia: quod ſi omnes eſſent iuſti, nihil opus fortitudine.

ANTISTHENES frequēter dicebat, virum iuſtum pluris faciendum, quam cognatum; arctiora enim ſunt vincula virtutis, quàm ſanguinis, & omnis bonus bono proximo cognatus eſt, propter animorum ſimilitudinem. Idem aiebat: Hominem virtute prædium ſibi parare defenſores non fortes tantùm, ſed etiam æquos & iuſtos.

ARISTIDES interrogatus, quid iuſtum eſſet? aliena non concupiſcere, reſpondit.

ACROTATVS parentibus poſtulantibus & inſtantibus, vt ſibi in re quapiam iniuſta adeſſet, reſpondit: Donec eſſem apud vos, nullam tenebam iuſtitiæ ſcientiam; vbi me patriæ tradidiſtis, conabor huic magis obtemperare, quàm vobis. Et quando quidem

dem hæc veſtra eſt ſententia, vt quæ ſunt optima faciam: Optima verò ſunt, quæ iuſta ſunt, quæ vultis faciam, quæ nunc iubetis negabo.

ARISTIDES quendam reum egerat, At cum Iudices poſt Ariſtidis accuſationem nollet audire reum, ſed protinus ad ſuffragia quibus eum damnaturi erant, properarent, Ariſtides ſupplex pro eo interceſſit apud Iudices, vt eum iuxta legum præſcripta diligenter audirent, tanta erat in viro legum æquique obſeruantia.

ARCHIDAMVS, roganti quinam eſſent Spartanæ Ciuitatis Præfecti? Leges, inquit, ac legitimi Magiſtratus. Grauiter cenſuit in Repub. benè inſtituta ſupremam authoritatem legibus eſſe deferendam, nec vlli Magiſtratui fas eſſe quicquam contra leges publicas tentare.

ARCHITAS dicebat, Iudicem & aram idem eſſe, pariter enim ad vtrumq; confugiunt, qui iniuria afficiuntur: Sentiens tales oportere eſſe iudices, vt oppreſſis ſint præſidio.

ARISTIDES, cùm inter duos priuatos cauſam cognoſceret, & alter quo Ariſtidem irritaret

ritaret in aduersarium extra causam multa commemoraret, quibus ille læsisset eum: Aristides interpellans hominem: Ista nunc inquit, missa fac ô bone, & si quid te læsit, eloquere, tibi enim in præsentia, non mihi Iudex sedeo.

ALPHONSVS Magistratus Cotem appellare solitus est, qua hominum ingenia probantur; Magistratus enim vt communi verbo celebratur, indicat virum.

ATHENIENSES scitu dignissimum est iuramentum, quod Ephebi Athenienses Reipublicæ præstare solebant. His autem verbis fuit conceptum: Non ignominia afficiam arma sacra, neque deseram meum cõmilitonem, quo cum iunctus fuero: Dimicabo pro aris & focis, & solus & cum multis, Patriam non derelinquam in deteriori statu, sed ampliori meliorique quàm acceperim. Semper Magistratui, Præfecto obediam, & legibus constitutis parebo, atque alijs quibuscunque plebiscitis: Quod si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed vlciscar id, solus & cum pluribus: Horum mihi Dij testes & conscij sunto.

ARCHITAS PYTHAGOREVS in legibus sanciendis dicebat, ea primum esse sancienda quæ Deos, genios & parentes spectarent, & in summa, quæ honesta egregiaque sunt: secundo loco vtilia: decere autem in animis Ciuium potiùs, quàm in scrinijs & tabulis conditas esse leges. Idem, Leges rationem Regionum, & locorum habere debere dicebat, quum nec omne solum ferat omnia: nec omnium hominum animi earundem virtutum capaces sint.

ANONYMVS, quidam in acie quum strictum iam ensem in hostem esset infixurus, quoniam interim signum datum esset receptui canens, non infixit: Roganti cuidam verò, Cur hostem quē in potestate habebat non occidisset? Quoniam, inquit, melius est parere Imperatori, quàm hostem occidere. Exemplum disciplinæ militaris: non licebat ferire hostem, nisi tuba dedisset signū: Eadem simul atq; cecinerat receptui, crimen erat hostem interemisse.

ALPHONSVS aiebat olim inter Iouem, Neptunum, & Plutonem omnium rerum partitionem trifariam esse factam, & horum vnum quenque sua sorte contentum esse; nec

nec occupare aliena: At inter homines neminem sua portione contentum esse.

Bias, damnaturus quempiam ad mortem, lachrymatus est miseriam hominis, & meritò deplorandam fortunam: verùm cùm dixisset quidã, quid est quod defleas, cùm in tuo sit arbitrio condemnare aut liberare hominem? respondit Bias: Necessarium quidem esse naturæ condolere: à lege autem & Iustitiæ regula discedere magis perniciosum est. Idem dicere solebat: Se malle inter inimicos, quã amicos iudicare. Ex amicis alterum prorsùs futurum inimicum: ex inimicis autem alterum amicum. Idem, Considera, inquit, & postea rem aggredere. Idem, Aggredere tardius agenda, aggressus age constans.

Cleon, postquam Reipublicæ administrationem capessere destinasset, testatus est se iam omnium amicitiarum vincula soluere velle, quod amico plerunq; obstet, ne liceat vbiq; rectum tenere clauum.

Chilon monuit obtemperandum esse legibus. Idem, Non committendum esse dicebat, vt lingua præcurrat mentem; Admonens prius cogitandum quæ loquatis,

quàm lingua prorumpat in verba: Nescit enim vox missa reuerti.

CICERO Legem nihil aliud esse dixit, nisi rectam à numine Deorum tractā rationem, imperantem honesta, prohibentem contraria. Idem, Fundamentum libertatis, fontem æquitatis, mentem, animum, consilium, & sententiam Ciuitatis, posita esse in legibus asserebat. Idem cùm Iudici dicenda est sententia, meminerit inquit, se Deum habere testem, id est, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus diuinius. Neq; contra Rempublicam, neq; contra Iusiurandum & fidem, amici causa vir bonus faciet, ne sit Iudex quidem de ipso amico. Ponit enim personam amici cùm induit Iudicis. Idem, quis dubitet, inquit, quin ad Consulatum adipiscendum multò plus afferat dignitatis, rei militaris, quàm Iuris Ciuilis gloria: vigilas tu de nocte, vt tuis Consultoribus respondeas: ille vt quo intendit maturè cum exercitu perueniat: Tu actionem instituis, ille aciem instruit: Tu caues ne tui Consultores, ille ne Vrbes aut Castra capiantur: Ille tenet, & scit, vt hostium copiæ, Tu vt aquæ pluuiæ arceantur;

tur: Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.

CATVLVS cuidam Oratori malo, qui cùm in epilogo misericordiam se mouisse putaret, postquam assedit, rogauit hunc, videretne misericordiam mouisse, ac magnam quidem, inquit: Neminem enim puto tam durum esse, cui non Oratio tua miseranda visa sit.

DEMOCRITVS. Bonum esse dicebat, non iniuriam facere, sed ne velle quidem.

Idem, Optimus, inquit, Iudex esse dicitur, qui citò intelligit, & lentè iudicat. Alterũ quidem est beneuolentiæ: alterum exactæ diligentiæ. Idem addebat, nihil inconsideratè agendum in Iudicio, sed prius deliberandum: nec cogitatione festinandum, vt aliquid plus quàm liceat dicatur, sed lentè & cunctanter appetitio accuratè exercẽda est, nec ad gratiam immutanda; nam inconstans inconsulto, & leuis temerario deterior est.

DEMOSTHENES Ciuitatis animã esse leges dicebat, vt enim anima corpus carens cadit, sic Ciuitates, nullis administratæ legibus euertuntur.

DIOGENES dicebat, nec legem esse sine Ciuitate, nec Ciuitatem sine lege.

EPICVRVS. Leges sapientum causa positas esse, dicebat, non vt iniurijs abstinerent, sed ne eis afficiantur.

EPICTETVS, Multa extant ab eo de legibus scite dicta. Inter hæc: Legis scopus est, benè mereri de vita hominum: Ægri seruator est medicus: Iniuriam passi lex: Leges verissimæ sunt, quæ iustissimæ sunt. Legi, Principi, & sapiẽtiori cedere, decorum est.

HERACLITVS. Ciues non minùs oportere pugnare pro legibus, quàm pro mænibus, quod absq; legibus nullo pacto esse possit Ciuitas incolumis, absq; mænibus posset.

HIEROCLES. Est, inquit, patria, veluti alter quidam Deus, & primus maximusque parens, quare qui nomen ei imposuit, à re ipsa non temerè patriam nominauit. Vocabulo quidem à patre deducto pronunciato, tamen fæminina terminatione, vt ex vtroque parente mixtum esset. Atque hæc ratio insinuat patriam vnam ex æquo, vt vtrumque parentem colendam esse.

ISOCRATES. Iusiurandum oblatum duabus de causis fide firmandum esse suadebat, vel

vt

vt seipsum turpi suspitione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum verò gratia etiamsi iustam causam habeas, non per Deos iurandum dicebat. Idem dicebat: Virum frugi, & prudentem debere præteritorum meminisse, agere præsentia, futura cauere.

LYSIAS dicebat: Iudices eadem mente præditos esse debere, qua legislatores.

Item interrogatus: Cur munera à Messenis oblata non accepisset? quoniam in leges iustitiæ grauiter peccassem.

LYCVRGVS. Eatenus amicis & familiaribus auxiliandum esse dicebat, vt iureiurando non admitteretur periurium. Idem dicere solitus est, duabus potissimùm rebus contineri Rempublicam: Præmio scilicet & pœna, quo dicto eam demùm Rempublicam saluam esse putauit, in qua boni præmiis inuitantur, mali verò pœnis afficiuntur.

LEO BIZANTVS Cuidam percontanti: In qua demum Ciuitate tutò viuere posset? In ea, ait, quam qui incolunt, neq; plus possident, neq; minus, & vbi iustitia viget.

Grauiter admonuit, eam Ciuitatem tutò

habitari posse, in qua iustitiæ cura habetur.

M. Cato Magistratum, Iudicem dicebat, nec pro iustis orandum, nec pro iniustis exorandum, sensit culpam esse Iudicum: si vt iusti & æqui sint, orandi sunt quum oporteat vltrò fauere bonis.

Pericles ab amico rogatus, vt pro re causaq́; eius falsum peieraret; respondit, oportet me amicis accōmodare sed vsq́; ad aras.

Philemon eum virum iustum esse pronunciabat, non qui iniurius non esset, sed qui cùm esse possit, ne sit cauet: Neq́; qui parua non accipit, sed qui magnis cum potest abstinet. Neq́; qui omnia hæc seruauerit, sed qui incorrupta legitimaq́; natura iustus esse mauult quàm videri.

Phocion ab Antipatro rogatus, vt nescio quid iniusti faceret: non potes inquit simul me amico & adulatore vti; Amicus enim eòvsq́; obsecundat amico, quòusq́; iustitia & æquitas patitur.

Publius Rutilius amico cuidam rem iniustam petenti pernegabat, cùmq́; is commotus per summā indignationem diceret: Quid ergò mihi op⁹ est tua amicitia? Immò inquit Rutilius, quid mihi opus est tua amicitia,

citia, si me vrgere cupis, vt in iustitiæ leges tua causa peccem?

PYTHAGORAS dicebat: Peregrinum virum iustum non modò Ciue, sed etiam consanguineo maioris esse faciendum.

POPVLVS Romanus, Carbone pollicente quidpiam & addente Iusiurandum cum execratione: Populus vicissim iurauit se illi non credere. Probis viris & iniuratis habenda est fides, leuibus ne iuratis quidem. Refertur ad id versus, Menandri suadet loquentis vita, non oratio.

PLATO dicebat: Necesse esse leges hominibus ponere, vt secundùm eas viuant: alioquin nihil à feris discreparent. Huiusque rei causam esse quod nullius hominis ingenium ita natura institutum est, vt quæ ad publicum bonum conferant, sufficienter cognoscat, etsi cognouit vt optimum id quod nouit agere possit.

PLVTARCHVS. Tot, inquit, tantorumq́; bonorum & munerum, quæ à Dijs largiũtur, nullus est fructus, aut vsus sine Lege, Iure, & Principe. Ius est finis legis: Principis opus lex. Princeps autem imago Dei cuncta administrantis.

PAVSANIAS cuidam roganti, quamobrem apud Spartanos nefas esset, vllam priscarum nouare legum; quoniam inquit, legibus conuenit authoritas in homines, non hominibus in leges.

SERB. SCÆVOLA, Vir tum Iurisprudentia, tum M. Antoninj Imperatoris amicitiâ celebris dicere solitus est, Ius ciuile vigilantibus scriptum esse, non dormitantibus.

SOCRATES, Ciuitates optimè gubernari dicebat, cùm iniusti dant pœnas. Idem interrogatus, quid magis ad Reipublicæ salutem prodesset? respondit: Si boni præmijs inuitarentur, mali autem pœnis còërceantur.

Jdem interrogatus, quanam ratione nullũ in vrbe scelus perpetraretur: Si tâm indignarentur illi quibus non facta est iniuria, quàm quibus facta est. Sensit vir prudentissimus tum demum eam saluã esse Rempublicam, cùm qui boni viri sunt, malos pœnis còërceant, ne insontes afficiant contumeliâ.

THEMISTOCLES oratus à Simonide Pöeta, vt amicũ non adeò iustam causam habentem, quàm commendatissimum haberet, respon-

respondit: Nec Simonidem fore bonum Poëtam, nisi mensuram modumq; in canendis Carminibus quæ scribebat, curaret. Neque se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac iustitiæ, alicuius gratiam prætulisset.

THEOPHRASTVS dicebat, bonos non multis egere legibus: non enim res ipsæ legum causa, sed leges earum causa ponuntur. Idem percontatus, quidnam Rempublicam conseruaret? respondit: præmium & pœna. Idem sciscitatus, quidnam vitam humanam conseruaret? respondit: Beneficentia, honor, & præmium.

DICTA & SENTENTIÆ Sapientum eodem ſpectantia.

A Vitijs abſtineto. Legibus pareto. Magiſtratum reuereto. Ne iurato.
Pacem dilige. Inimicitias depone.
Iuſtè rem para. Lucrum turpe res peſſima.
Iuſtè iudicato. Calumniam oderis.
Ne prior iniuriam facies.
Cum erraueris muta conſilium.
Nemo patricidæ ſupplicio miſericordia mouetur.
Improbo benè eſſe non poteſt.
Impij pœnas luunt.
Animi conſcientiâ improbi cruciantur.
Peccare licet nemini.
Cuiuſuis hominis eſt errare, nullius niſi inſipientis in errore perſeuerare.
Qui non defendit iniuriam, neque propulſat à ſuo cùm poteſt, iniuſtè facit.
Juſtitia virtus eſt omnium Regina & domina virtutum.
Iuſtitia in qua virtutis eſt ſplendor maximus, ex qua boni viri nominantur.
Iuſtitia erga Deum religio, erga parentes pietas,

tas, erga vulgum bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertenda lenitas, in amicitia beneuolentia nominatur.
Fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ est iustitia.
Iustitiæ opponitur nocendi cupido.
Iustitia commutatiua est, quæ commutat æqualia proportione arithmeticâ, id est, quæ simpliciter rerum æqualitatem offert.
Iustitia distributiua est, personarum ordinatio, in omni vita publica & priuata, iuxta proportionem Geometricam, in qua gradus officiorum & personarum constituuntur, & idoneis aptæ functiones tribuuntur.
Prudentia coniuncta cum iustitia, est prudentia in iudicando.
Omnia prius consilio, quàm armis experiri sapientem decet.
Ita comparata est vita hominum aliena, meliùs vt videant, & iudicent quàm sua.
In alienis erratis perspicaces sumus; ad sua quisq; lusciosus est.
Non videmus manticæ quod in tergo est.
Quæ in alijs reprehendis, ea ne facias ipse.
Scisti vti foro. Quod homines, tot sententiæ.
Suus cuique mos est.

Carere

Carere debet enim vitio, qui in alium paratus est dicere. Si perges mihi ea dicere, quæ vis, audies quæ non vis.
Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.
Pœna est vehemens nocte dieq; suum gestare in pectore testem.
Domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neq; delicto, neque libidini obnoxius, illustres & magnos fecêre plerosque.
Quod cauere possis, stultum admittere est.
Nonne id flagitium est, te alijs consilium dare, foris sapere, tibi non posse auxiliari?
Mihi non videtur quod sit factum legibus, rescindi posse.
Legem nocens veretur, fortunam innocens.
Lex est æterna quiddam, quod vniuersum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia.
Lex est iustorum iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem naturam expressa, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiũt, & tuentur ac defendunt bonos.
Consul-

Consultiùs est se non committere periculo, quàm dare operam, vt ingressus periculum temet expedias.

Ne litiga frustra cum homine qui te nõ læsit.

Veritas vincit & probatur.

Conscientia mille testes.

Quod iustum est, imitare.

Ad consilium ne accesseris, antequã voceris.

Consule inculpatè.

Accipere præstat, quàm facere iniuriam.

Veritati adhæreto. Probrum fugito.

Nil temerè credideris. Foro te para.

Age quæ iusta sunt.

Inter amicos ne fueris iudex.

Qui parcit malis, nocet bonis.

Fit iniuria bonis, cùm impunitas datur malis.

Existimationem retine.

Æquum iudica, non ad lucrum aut gratiam, sed ad regulam æquitatis.

Iudex bonus nihil ex suo arbitrio facit, sed secundùm leges & iura pronuntiat.

Omnia Iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorũ causâ reperta sunt.

Quod maior pars iudicat, id ius ratumq; esto.

Sit summa in iure dicendo seueritas.

Qui ius Ciuile contemnendum putat, is vincula conuellit, non modò Iudiciorum, sed etiam vtilitatis vitæq́; communis.

Jllud stude quod iustum est, quod turpe factu est, ne affectes.

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse.

Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsũ.

Quòd meritò pateris, patiẽter ferre memento.

Cùmq́; reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

Bonus tametsi punitur, non extinguitur.

Veritas & iusticia premi potest ad tempus, sed emergit postea. Fidem serua.

Fidem qui perdit, nil potest vltra perdere.

Omnia perdidit, qui fidem perdidit.

Fides vt anima, vnde abijt, nunquam redit.

Illò nocens se damnat, quo peccat die.

Quisquis admittit scelus, illicò sibi damnatus est, iudice conscientia, etiam si iudex nemo pronunciet.

Fortitudo est animi affectio in periculo adeundo, & in labore ac dolore perferendo. Fortes fortuna adiuuat.

Magnitudinis animi ac fortitudinis propriũ est, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare.

Fortitu-

Fortitudo omnis aut in dolore, aut in labore, aut in periculo ſpectatur.

Labor in negotijs, fortitudo in periculis.

Pungit quippè magnus magnum virum caſus, & nonniſi ſui ipſius oblitus, acceptarũ calamitatum fit obliuioſus. „ „ „

Mala cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam.

Innocentia non eget miſericordia, ſed æquum deſiderat Iudicem; At cui fiducia rei eſt tota in miſericordia iudicis, peſſimam habet cauſam: Nimium altercando veritas amittitur.

Moderata diſceptatione veritas excutitur, at immoderata perditur.

Elige iuſtam potiùs paupertatem, quàm diuitias iniuſtas.

Neminem tibi iunxeris eorum, quibus iniuſtitia lucro eſt, ſed potiùs eos, qui propter iuſtitiam ferunt iacturas.

Iuſti enim etiamſi nulla alia re ſuperent iniuſtos, honeſta tamen ſpe ipſos antecellunt.

Hem dolor quàm miſer eſt, qui in tormento vocem non habet.

Ridiculum eſt odio nocentis, perdere innocentem.

Stultum eſt ſic odiſſe peccatum, vt ipſe pecces.

Veterem ferendo iniuriam, nouam paras.
Si finis impunitum peccatum, facis vt iterum liceat peccare.
Inconsulta consilia nonnunquam fœliciter cedunt.
Iustum sanctumq; iuramentum omnibus maximi faciendum est.
Plurima iureiurando firmantur Dijs immortalibus interpositis, cùm Iudicibus, cùm testibus.
Vera Nobilitas vsu disciplinaque militari ac cæteris animi corporisque dotibus, & virtutibus acquiritur.
Non aliunde florent Respublicæ quàm si legum vigeat auctoritas.
Legibus, & earum obseruantia, exornanda omnia.
Decet nos cùm propter nos ipsos, cùm propter reliqua nostra facinora, vt ostendamus omnibus hominibus, nos & antea & nunc & semper fuisse & esse Iuris & æqui studiosos.

MAGISTRATVS VE-teris Populi Romani.

I. CONSVLES.

STatim post Reges exactos, Anno Vrbis cõditæ, Ducentesimo quadragesimo quarto instituti, duo creabantur, ijdemq́; annui, loco Regum creati, & cũ pleno iure eorum.

Caput Reipublicæ habebantur: Habuerunt ius summum militiæ, Imperium in prouincias, ius conuocandi populi, cum eo leges condendi, literas à præsidibus prouinciarum accipiẽdi, Legatos ab externis audiendi, Senatum conuocandi, dimittendi.

Vis omnis & imperium liberrimum primum apud illos, pacem bellumuè facere, fœdera ferire, coërcere, animaduertere, ius vitæ necisq́ue in Ciues habere.

Imminuta tandem eorum potestas, ne grauis libertati esset. Prouocatione ad populum tanquam maiorem Iudicem, & intercessione Tribunorum, qui intercedere & impedire omnes Consulares actiones poterant, velut populi voce.

Insignia Consulum: Fasces duodecem cum

lictoribus, Toga prætexta, Sella curulis, Scipio eburneus, ſiue Sceptrum.

Ritus: Calendis Ianuarijs in leges iurabant. Formula iurandi ſolennis & breuis. Viderent Conſules ne quid Reſpub. detrimenti acciperet. Habituri Conſilia, iurabant ſe nihil contra leges feciſſe. A Capitolio in Senatum deducebantur. Tandem eadem die amicis munera Conſularia mittebantur, ſuffragijs populi creabantur.

II. PRÆTORES.

Iuxta Conſules dignitate proximi, & collegæ Conſulis appellantur, quoniam ijſdem auſpicijs creabantur.

Creatus initio vnus poſt alter adiectus, qui ius diceret, ille inter Ciues, hic peregrinos: ideò alter vrbanus, alter peregrinus appellatus. Tandem fuerunt ſex, è quibus duo ſoli in Vrbe manebant, reliqui quatuor in prouincias ibant, quas ſors aſſignârat. Numerus eorum augebatur, minuebatur, pro temporum varietate.

Inſignia: Prætextæ togæ illis ius, item ſellæ curulis, lictores cum faſcibus ſex habuêre.

Munera Prætorum præcipua tria: Ludi, Sacra,

Sacra, Iurisdictio: Ludos varios dabant ad gratiam populi. Sacrum plerumq; curabant Bonæ Deæ, quod domi eorum ab vxore fiebat. Priuata Iudicia, id est, res Ciuiles tractabant duo soli è Prætoribus: Vrbanus, & Peregrinus. Publica siue Criminales reliqui omnes; ita tamen vt singulis certæ essent quæstiones vna pluresué.

III. AEDILES.

Dicti ab ædium cura, siue quod ædes sacras priuatasq; curarent, Aediles curules dicti, quòd sella honoris causa vtebantur.

Curulis sella à curru dicta, Consules & Prætores ob longinquitatem viæ in forum prouehebantur; ideoq; sellæ in quibus sedentes iura redderent, curules dictæ.

Officia eorum, opera publica inspiciebant & tuebantur ac Templa Deorum. 2. Incendiorum eis cura, & ne aliquod ab igne damnum fiat. 3. Funerum & matrimoniorum institutio, scortationum & meretricum coërcitio & regimen, denique balnea, aquæ ductus, cloacas, plateas, & loca omnia Vrbis curabant. Fuerunt etiam Annonæ & rerum venalium Curatores, ad

eos non ſolùm rerum venalium cura & æſtimatio ſpectabat, ſed etiam pecudum hominumq́ue.

Aediles, inquit Cicero, Curatores Vrbis, Annonæ, ludorumq́; ſolennium.

Aediles ſuo ſumptu edebant ludos, ordinabant præmia, diſtribuebant, fabulas agendas examinabant.

IV. TRIBVNI.

Cùm Plebs in noua libertate variè premi à patribus videretur, ſeceſſit in montem ſacrum, nec reduci in Vrbem potuit, niſi vt proprium hunc Magiſtratum haberet iuris ſui vindicem. Per plebem & è plebe creabantur. Creati initio duo, mox tres adiuncti iterum quinque additi, decemq́ue in vniuerſum facti.

Creati contra vim potentiamq́ue Magiſtratuum, Scutum impediendi & defendendi habebant, non agendi aut lædendi telum. Oppreſſos iuuabant, eripiebant, iniqua decreta aut iuſſa, ſiue Magiſtratuum, ſiue Senatus reſcindebant, eoq; fine ianuæ eorum nocte dieq́ue patebant, ſed nec vllam horam abeſſe ab Vrbe legitimè poterant. Ad

auxilium

auxilium ferendum parata intercessio vno solenni verbo, Veto.

In immensum eorum aucta fuit potestas, qui olim in Senatum non veniebant, sed ante valuas Curiæ positis subsellijs sedebant, ij mox Senatum conuocare ausi, conuocatū dimittere, concionem aduocare, tabernas claudi iubere, Leges & rogationes ferre, Iudicia exercere.

Successu temporis potestas hæc circumcisa, solumque nudum ius intercedendi circa eos relictum.

V. QVÆSTORES.

Ordine primi, dignitate vltimi inter Magistratus, à quærendo nomen sortiti, quod pecunias publicas reponebant, libera Repub. creati, cùm aucto populi ærario opus fuit, qui ei præessent.

Fuerê autem initio duo tantùm Quæstores, qui vrbanam pecuniam omnem tractarēt, & ærario præessent, quòd in æde Saturni ijque Vrbani dicti.

Postea cum alijs etiam opus videretur, qui peregrè pecuniam militarem administrarent, prædam venderent. Duo iterum creati qui Consulib⁹ administeria belli præstò essent.

Atque is numerus diu manſit, donec ſtipendiaria tota Italia duplicatus eſt is, factique octo ad tractanda etiam Prouinciarum vectigalia, in quas cum Proconſulibus, aut Proprætoribus ſorte mittebantur, quod euenit argento primum ſignato.

Mox creati 20. ad Senatum ſupplendum, nouiſſimè 40. Nec obſcura eorum munera, è quibus præcipua pecuniæ publicæ acceptio & expenſio. Item ſignorum militariũ (ex auro & argento enim) in ærario obſeruatio, prædæ venditio, & ſubhaſtatio, certæ etiam per Italiam præfecturæ.

Fuit etiam velut proprius quæſtor Imperatoris, qui candidatus Principis appellatus, ſiue quæſtor Auguſti.

Ab hoc origo quæſtoris Palatij, qui ſub Conſtantino cæpit, quæ deinceps magna dignitas, cuiq; datum Leges & Decreta fundere, petitionibus reſcribere, reſponſa reddere, & omninò iuris quidam & legis cuſtos ac præſes fuit, quod nomen hodie in Cancellarium mutatum verè dixerimus.

VI. DICTATOR.

Extraordinarius Magiſtratus vltra ordinarios & perpetuos ſupra expreſſos, cuius nomen

ſiue

ſiue quod dicetur à Conſule, cuius dicto omnes audientes eſſent, ſiue à dictando, quòd crebrò diceret, ediceretque quæ ex vſu eſſent.

Dictus alio nomine Magiſter populi, itemq; Prætor maximus.

Cauſa prima eligendi ſeditio fuit & metus ab hoſte: cùm enim ſperni viderent Conſulare nomen, cui per prouocationem adempta præcipua vis, deſcenſum ad hoc ſingulare imperium, vt eſſet qui rigida & Regia poteſtate plebem ſeu hoſtes coërceret.

Maior enim & concordior vis in vnius imperio, quem collega nemo aut improbè turbet, aut imperitè tardet: Creati etiam cauſis pluribus vt claui figendi cauſa Comitiorum habendorum, ludorum faciundorū, quæſtionis exercendæ, Senatus legendi, denique quoties aliquo breui & extraordinario imperio opus eſſet, ſed priores illi veriq; Dictatores cum hoc titulo leguntur rei gerendæ cauſa: quoad bellum ſpectat vel Reipub. gerendæ cauſa, ſiue ſeditionis ſedandæ, quoad turbas.

Non ſuffragijs populi, ſed Senatu iubente à Conſule dicebatur, qui noctu auſpicato ali-

quem è Consularibus quem sibicunq; visum esse nominabat.

Potestas huius Magistratus ampla vel eximia.

De pace belloq; agere, exercitus scribere, educere, dimittere, omniaque negotia gerere, liberè & pro arbitrio poterat, adeò vt nihil horum vel ad Senatum referret.

Itaq; non solùm ius omne duorum Consulũ translatum in vnum, sed hoc ampliùs creato eo, cæteri omnes Magistratus abdicabant: Tribunis tantùm exceptis, relinquebaturque velut frenum Reipublicæ in manu vnius.

Quin bona illi Ciuitatemq; adimere, ius animaduertere, in vitam & caput Ciuium, idq; sine vlla prouocatione. Ad quod singulare ius exprimendum viginti quatuor fasces illi præferebantur, & totidem secures, etiam in Vrbe, vt nihil mirum terroribus tantis propositis edictum Dictatoris pro numine semper obseruatum.

Hæc tanta vis Terminis quibusdam circumscripta ne exorbitaret.

Primum semestre id imperium esse voluerũt, ne in tyrannidem spatio aut consuetudine iret, quibusdam prorogatum in annum ob necef-

necessitatem Reipub. Sylla & postea Cæsar qui dictaturam perpetuam inuasêre, leges & instituta Reipub. palam spreuerunt.

Secundo locis etiam inclusa nec permissum Dictatori cum Imperio extra Italiam ire, scilicet ne procul ab oculis Ciuium & Senatus res faciliùs innouaret.

Tertio Equum ascendere ijs vetitum, nisi ad bellum ituris, siue vt ostenderetur vis præcipua Romana impeditè, siue potiùs ad arrogantiam minuendam, & vt hac parte cum plebe æquaretur.

Atque his cautionibus & modestia gerentium factum vt per Annos 400. quietissime & optimo publico Magistratus is gereretur, donec L. Sylla & C. Cæsar in tyrannidem eum verterunt, & nomen id exosum fecerunt Romanis, adeò vt post necem Cæsaris lata lex sit, qua Dictatura è Republica sublata.

Magister equitum fuit velut adiutor & administer Dictatoris, quē ipse Dictator sibi liberè eligebat, modò is tamen è Consularibus aut prætorijs esset.

Cæsar Magistrum Equitum Antonium elegerat.

Itaq;

Itaque is loco & munere fere Prætoris fuit, habuitque eadem inſignia prætextam Curulem, & VI. lictores.

VII. CENSORES.

A cenſendis & æſtimandis facultatibus dicti, è Conſularibus creati, duo in annos quinque, quia luſtris duntaxat ſingulis cenſeri populum vetus inſtitutum fuit. Sed paulò poſt annua & ſemeſtris cenſura fuit.

Hæc tria ſeruata in creatione eorum.

1. Vt è Conſularibus eſſent.
2. Vt ne bis crearentur, quia oneroſa populo futura videbatur eorum altera poteſtas.
3. Vt ſine ſuffectione, id eſt, mortuo vno, è Cess. neminem alium ſubrogari mos eſſet, immò illum ipſum abire Magiſtratu qui ſupereſſet.

Eorum munera duo; æſtimatio facultatum, & morum.

Ex illa eſt, quòd publicas priuataſq; omnium opes deſcriberent, populum in Centurias & claſſes diſtribuerent.

Item quod vectigalia locabant & ijs per prouincias leges dabant, quæ cenſoriæ appellatæ, opera publica erigebant, inſpiciebant, probabant, ſarta tecta exigebant.

Vias

Vias publicas tuebantur, & præficiebant, pretia ſacrificiorum publicorum curabant.

Ad morum æſtimationem: Senatu eijcere, equum adimere, Tribu mouêre, ærarios facere potuerunt.

Senatu eijcere id erat, cùm Senatum legerent, nomen illius aut illius Senatoris in recitando præteribant, quo cenſebantur tacito indicio loco moti.

Equi ademptio ad equites, qui veniebant ad Cenſores equum manu ducentes, quos ſi probarent præterire, ſolenni verbo iubebant, ſin aliter equum adimebant & vendere iubebant.

Tertia ad plebeios, quos tribu mouebant, quos mutare iubebant tribum, & ex honeſta ruſticaq́; in minus honeſtam ſiue vrbanam trãsferebant, aut ærarios relinquebant, id eſt ſuffragij ferendi poteſtate priuabant, ad hoc tantùm in numero Ciuium vt æra tributi nomine penderent.

Adimebant Cess. quod cuiq́; ordini ſummũ eſt Senatui Curiam, equiti equum, Plebeio tribum, aut ſuffragium.

Cenſura tandem paulatim imminuta eſt, ad extremum à Senatu penitùs repudiata eſt.

8. IN-

VIII. INTERREX.

Vetus Magiſtratus creatus per Interregnum, mediuſq; inter duos Reges dictus Interrex, Origo illi à morte Romuli, Creatio è patribus tantùm: Tempus quinquediale, Munus idem quod Coss.

Romanum Imperium creuit ſub Regibus annis ab Vrbe condita Ducentis Quadraginta quatuor.

POST exactos Reges, ob ſtuprum Lucretiæ Romanæ à filio Tarquinij ſuperbi Regum vltimi illatum, pulſo Rege & vniuerſo nomine Tarquiniorum deleto ex vrbe, Conſules annui duo Rempub. liberam adminiſtrabant annis quadringentis ſexaginta, vſque ad Caium Iulium Cæſarem, qui Ciuili bello victo & profligato Pompeio, cũ quo tota Reſpub. occidit, ipſe ſolus rerũ omnium potitus eſt, & per vim arripuit imperium.

Poſt necem Iulij Cæſaris qui in Senatu cæſus, Octauius Auguſtus, Antonius, & Lepidus non tantùm Cæſaris mortem viti ſunt, ſed etiam ſtatum Reip. reſpirantis, quæ ad priſtinam libertatem redijſſe videbatur, euerterunt,

terunt, & eius ſpolium inter ſetrium viri diuiſerunt.

Tandem Octauio Cæſari ſeruire Reſpublica coacta eſt, & vita Ciceronis furori Antoniano conceſſit, quo nihil poterat eo tempore ſol vidiſſe indignius.

Ab eodem tandem Cæſare, Cæſares continue ſequuti abſolutè tractabant imperium, vſq; ad Conſtantinum Magnum Imperatorem, ſeu Cæſarem, qui Chriſtianus factus, Sylueſtro Summo Pont: Româ liberè ceſſit, ſede imperiali Biſantium tranſlata.

Ab eodem Chriſtiano Cæſare, Chriſtiani Cæſares & Imperatores orti & propagati, ſede imperiali alibi gentium & locorum fundata & locata.

QVI Romã in medio quæris nouus aduena Romã
Et Romæ in Roma nil reperis media:
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obrutaq; ingenti vaſta theatra ſitu,
Hæc ſunt Roma, vide, velut ipſa cadauera tantæ,
Vrbis adhuc ſpirant imperioſa minas?
Vicit vt hæc mundum, nixa eſt ſe vincere, vicit,
A ſe non victum, ne quid in orbe foret.
Nunc eadem inuicta Roma, illa inuicta ſepulta eſt,
Atq; eadem victrix, victaq; Roma fuit:

Albulæ

Albula Romani restat nunc nominis index,
Quin etiam rapidis fertur in æquor aquis:
Disce hinc, quid possit fortuna, immota labascunt,
Et quæ perpetuò sunt agitata, manent.

Rerum humanarum omnium ea natura est, vt constantiam nullam diutius seruent, sed fluctuent semper & nutent.

Fortuna quippè ipsa quàm leuis, quàm inconstans, quàm fallax sit Assyriorum, Medorum, Persarum, Macedonum, Romanorumque docent Imperia.

Nihil semper suo statu manet,
Sub Sole nihil stabile.

SVPPLEMENTVM REGVLARVM IVRIS.

Nuper

Ad vſum & profectum in Iure, Studioſæ Iuris Iuuentutis in publicum editarum.

AVTHORE

Stanislao Łochowſki Caſtri Opocznenſis Notario.

CRACOVIÆ

In Officina Typographica Franciſci Cæſarij.

Anno à partu Virginis. 1644.

Iudicis officium eſt, ne aliter Iudex iudicet, quam quod legibus, aut Conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.

Iuſtitia, æquitas, & prudentia optimum reddunt, & commendant Iudicem.

Genere & virtute nobilissimo Viro,

GENEROSO DOMINO,

CHRISTINO DVNIN KARWICKI

De Skrzyn, & in Kárwice, &c.

HEREDI,

Domino & Fautori suo colendissimo.

MOris cùm sit & antiquæ consuetudinis Vir Excellentissime hoc in Castro, seu Castreń. Capitań. Opoczneń. nostro Officio, cui nunc Magnificus D. Zbigneus de Olesnica Olesnicki Opocznē-sis &c. Capitaneus, superis aspirantibus feliciter præsidet, assideń. sibi officio in eo-

 dem,

dem, Generoſo D. Laurentio Załuſki Pincerna Rauen. Vicecapitaneo, prudentia, doctrina ac legum peritia præſtãtiſſimo Viro, meq́ Notario Caſtren. Opocznen. non tantùm Equeſtri Ordini celebris huius Territorij, ex æquo & iuſto iura reddi; verùm etiam abſolutis quibuſque Ordinariè Iudicijs Capitanealibus, illicò in Cauſis Ciuilibus per appellationem ab Officio inferiori Ciuili Opocznen. ad ſubſellium Capitaneale deriuatis, ius competens dici: Non temerè itaq́, nec abs re, immò Iure optimo Regulis iuris nuper à me, ſub Tuis fauſtis auſpicijs, cura, opera, ac impenſis Tuis, in gratiam & ad vſum ſtudioſæ iuris iuuentutis in lucem editis, in vim Supplementi ſeu additamẽti articulos inſigniores, & normam proceſſus Iudicij Ciuilis aſſerenda & aggreganda operæpretium duxi, non modò vt in vtroq́ iure dicendo, pro munere & debito Officij noſtri pares ſimus, ſed etiam cùm à ſenten-

tia inter

tia intermedia Castreń. à Capitaneo videlicet, vel suo Vicecapitaneo; Ciuibus ad Supremum subsellium, Sacram nimirùm & Serenissimam Maiestatem Regiam post Curiam, iuxta diserta Decreti Regij occasione appellationum earundem lati, verba, prouocare liceat, ne ibi vel imperitiæ iuris illius Ciuilis, vel minùs rectè iudicati coarguamur: quanquam rariorem sententiam Castreń. dum ius illud studiosius colimus, scitisque illius Decreta nostra adaptamus, in supremo subsellio reprobatam inuenias: signãter verò & præcipuè cùm non sim ignarus, immò pro certò & explorato habeam, Iudicium discutiendarum Causarum Ciuilium (puta in grauioribus quæstionibus) quàm Castreń. sæpenumerò Illustri Capitaneo, capiti Officij nostri, nobisque vicem sui hoc in passu gerentibus, facessere negotium, quatenus veluti in Speculo quodam, è Speculo Iuris Ciuilis eruti articuli, Officio

huic in Iudicijs appellationum Ciuilium præstò adsint, suisque ac Succedaneorũ suorum, perpetuò versentur in oculis: Argũ quippe Iudicem esse oportet, vt videlicet legi scriptæ satisfiat per eum, ne in officio boni, integri, & sapientis Iudicis, peccasse videatur. Quemadmodum autem studij & laboris mei forensis Tibi inclytæ Daniorum gentis Vir præclarissime, obtuli primitias, ita extremum hunc meum laborem, veluti Cygni (qui Tuæ celeberrimæ genti est in armis, & præclaro Stemmate) cantionem Tibi offero, vnaq; & insimul quatenus me, meosq; liberos, eo quo inhactenus prosequutus es, prosequi non desinas fauore, & beneuolentia, summopere peto. Datũ Miedziboreæ vltima Aprilis. Anno à Nato Christo Domino. M. DC. XL III.

Generosæ D. Tuæ
addictissimus.

Stanislaus Lochowski
Castri Opocznen. Notar.

Articuli Iuris Ciuilis.

A

ABſens ad omnes actus, & querelas, citari debet, aliâs Sententia non ligat.

Actionem intentans ſecundùm vnum modum vt pote criminaliter, non poteſt agere ſecundùm alium modum, vt pote ciuiliter, & è contra.

Actio, In criminalibus actionibus cautiſſimè procedendum, & non niſi præcedentibus ſufficientibus probationibus, vnus condemnari debet.

Actio Criminalis, ex morte alicuius efficitur Ciuilis.

Actio pro morte patris, vel alterius conſanguinei, occiſi, competit maſculis, & non feminæ.

Actio Criminalis, ſemper Ciuiliter inſtitui poteſt.

Actiones ex maleficijs, in heredem rei non competere, certiſſima Regula eſt.

Actio ſi ſit in vitam, vel in ſanitatem, nullus condemnari poteſt, niſi recognoſcat, vel conuincatur.

Actionem intentans contra aliquem, si ille vicissim contra te agere vellet, tu respondere non cogeris, nisi tua actio finiatur.

Actiones similes, eodem Iure decidantur.

Actionem cedens potiori, perdit Causam.

Actio, in actione Ciuili vnicuiq; à iure recedere licet, sine licentia Iudicis; secùs verò si actio sit famosa, ibi enim requiritur consensus Iudicis, aliâs transigens redditur infamis.

Accipiens iniustè aliquid, reddere tenetur.

Accipiens aliquid præter vnius voluntatē siue sit multùm, siue parùm, reddere cogitur cum emenda.

Accipiens rem alicuius in aliquo loco, putans suam fore, & eam non occultat, Criminaliter accusari pro eo non potest, dummodò iuramento se expurget.

Accommodatum negans suo absoluitur iuramento, si coram Iudicio actum non sit.

Accōmodans, impignorans, aut quouis modo de sua voluntate alienans equum, vestem, & alia mobilia, si ille tandem cui concredidit, ea amiserit, perluserit, iste res non poterit euincere suas, nisi apud illum, cui concredidit.

Accommodatam vel depoſitam rem manifeſtè ſeruans, furti accuſari non poteſt.

Accõmodatũ animal, ſi moritur, ſolui oportet.

Actor & Reus cautionem præſtare tenentur ad repræſentandum ſe Iuri.

Actoris, & Rei, ius debet eſſe æquale.

Actore non probante rem eſſe ſuam, quæ apud me eſt, ego qui teneo rem illam, probare non teneor eſſe meam.

Actore probante rem eſſe ſuam, Reus probare itidem poteſt, in contrarium rem ſibi venditam.

Actor non tenetur reſpondere Reo, niſi priùs Actio ſua terminetur.

Actori ſicut non creditur abſq́ue probatione querelæ, ita reſpondens pro Reo habetur, donec ſe expurget.

Accuſatus de aliqua re, quæ non apparet, apud eum fore, ſuo ſe abſoluit Sacramento.

Accuſatus pro aliquo, quod extra iudicium, actum eſt, propior eſt ſe expurgare.

Accuſato admittitur probatio tranſactionis, propter id, ne actor eum per negatiuam in periculum inducat.

Accuſare volens, probationes neceſſariò habere debet ſufficientes.

Accuſans criminaliter, cum clamore eum agere oportet.

Accuſatus in manuali facto, ſtatim detinetur.

Accuſatus extra manuale factum, propior eſt euadere, quàm quis eum cõuincere poſſit.

Accuſatus ſi homo probus ſit, pro Criminali Cauſa, propior eſt euadere metſeptimus.

Accuſatus de auxilio vulnerum, homicidij metſeptimus Sacramento abſoluitur.

Accuſare aliquem volens, eidem reſpondere tenetur, ius naturæ diſponit.

Annos pubertatis vnus dicitur habere duodecimo anno, diſcretionis verò in vigeſimo primo anno, ſecundùm Saxones: ſecundùm verò leges, in vigeſimo quinto.

Annus & dies ſecundùm Saxones eſt annus integer, & ſex Septimanæ.

Appellatio apud Saxones, non fit niſi Iudicio durante.

Appellatio cuilibet admittenda.

Appellans ſeu ſententiam increpans, accuſatus, quod non Zelo Iuſtitiæ, ſed dilationis causâ faceret, iurare cogitur.

Arbitrorum Sententiam tenere oportet, nec ab ea appellare.

Arbitri vlterius edicere non possunt, nisi quod eis compromissum est.
Auxilium præbentes, æquè tenentur de maleficio, sicut illi, qui exequuntur principales, & nedum ex insultu, sed ex sola præsentia, si per id insultus reddatur timidior.
Auxiliarij æquè puniuntur, sicut principales.
Auxilium etiam præsumitur quis dedisse, eò quod stat armatus cum malefactoribus.
Auus tollit hereditatem nepotis, ante omnes Collaterales.

B

BONA per sententiam alicui adiudicata, quamuis antehac nullum ius habuit, per sententiam tamen ius consequitur.
Bona sententiatorum, damnatorum, & conscientium sibi mortem ex furia, cedunt heredibus.
Bona, qui seipsos interficiunt in carceribus metu pœnæ, cedunt fisco.
Bona rapta, nullo modo possideri seu præscribi possunt.
Bona mobilia post mortē vxoris, cedunt viro.
Bona aut merces labore proprio acquisitæ, tempore perfectæ sanitatis, alienari licet.

Bona vendicans ſibi alio iure, quàm quod habet, vt ſi habet feudalia, dicat eſſe propria, perdit vtrumq́ue.

Bonus, pro bono quilibet reputari debet, donec contrarium probetur.

Bono animo quicquid fit, pro honeſto reputatur.

C

CItatio non eſt principium, ſed præludium Iudicij.

Citatus pro qualibet non comparitione impenſas ſoluet, antequam ad reſponſionem admittitur.

Confeſſus, victus habetur.

Conſcientes ſibi mortem ex Melancholia, heredes ſuccedunt, ſeipſos autem interficientes timore pœnæ, fiſcus ſuccedit.

Conſcientes ſibi mortem, in Sacris non ſepeliuntur, nec pro eis oretur.

Crimen non alibi iudicatur, niſi vbi quis deliquit.

D

DAmnum á ſua negligentia illatum, reſarcire vnus tenetur.

Damnum ex igne illatum, ille resarcit, à quo ignis prosilijt.

Damnum illatum à cane, apro, aut alio animali, si illud dominus post noxam susceperit, damnum soluet, si verò illud expulerit, à damno immunis erit: Intelligitur tamen id de animalibus mansuetis, quia in non mansuetis, aliter fit, dato enim, quod non susceperit illud, nihilominus damnũ per bestias illatum, resarcire tenetur.

Damnum per equum, vel pecus illatũ, quod sub custodia famuli est, famulus resarciet, si verò aufugerit, dominus illud eius soluet.

Damnum illatum in segetibus, quæ non induxit tempore, quo alij inducũt, non soluitur.

Damnum à puero illatum, Tutores soluant.

Damnum illatum per fatuos, & furiosos, Curatores soluant.

Debita probari debent post mortuam manũ, per septem testes.

Debita quæ homo solus contrahit, aut soluat, aut iuret.

Debita defuncti, heredibus persoluantur.

Debita mulier non soluit ex dote.

Debitum solutum, testimonio duorum indigebit, mortuæ verò manus, septem.

Debitum

Debitum tempore adueniente si Creditor accipere non vult, illud reponi apud Officium debet.

Debitũ magnũ soluitur in quatuor mensibus.

Debitum promissum vel adiudicatum sine determinatione temporis, in instanti solui debet.

Debiti solutio, probatur duobus hominibus solutionem videntibus.

Debitum patris, soluit filius.

Debitor fugiens per Creditorem detineri potest, & Iudicio præsentari, non tamen violenter rem ab eo extorqueat.

Debito proprio accusatus, per affirmationem vel negationem respondendum est.

Debitor paratam pecuniam non habens, eliberatur alijs bonis, & sic faciens non redditur infamis.

Debitum nummis solui debet, qui communiter in prouincia currunt, & quibus panis ac cereuisia emitur, nisi aliter in Contractu expressum sit.

Debitum ante reformationem dotalitij contractum, præcedit in solutione dotalitium.

Debito mortuæ manus accusatus, solutionem probare potest metseptimus.

Debito accusatus si testibus sit, testibus absoluitur, si simpliciter etiam vnica liberatur manu.

Debitum recognitum ad quindenam soluitur, tandem ad octauam, tandem ad triduum, tandem ad solis occasum decernitur solutio, semper cum poena iudicis.

Debitum in ludo contractum, vel pro ludo accommodatum, repeti iure non potest.

Defendens vnus vitam suam quocunq; illam defendit modò ignoscendum est.

Defendere vitam tutiùs est, quàm violentiam querulari.

Defendens domus violentiam, ille veram facit defensam.

Defendere quilibet propior est vitam, honorem quàm alter eum conuincere.

Defensam necessariam probare vnus cogitur metseptimus, hodie tamen defensa probatur duobus testibus.

Deposito nulla conditio superaddi debet, aliâs si conditio apponatur, non iam vt depositum erit; sed magis pignoratitium, vel conductum.

Deposita res si ex furto, spolijs, incendijs amissa sit, nullam in eo depositarius sustinebit

nebit pœnam, nisi dolo malo fecisset.
Depositi natura est, vt illud è contra restituatur.
Deposito, vti non debet depositarius.
Depositarius non soluit rem perditam, etiamsi negligentiùs custodit eandem.
DEVS: quod à Deo statutum est, perfectum habetur.
DEVS est principium & finis, omniũq; rerum, omniumq́; Scientiarum, author & caput.
DEVS hominem cunctis præfecit animalibus.
DEVS hominem ad suam condidit imaginem, & glorioso redemit Sanguine.
Diuortio subsequuto, dos peti potest.
Diuortij Causæ in legibus habentur multæ.
Diuortio facto, pueri ab vtrisq; enutriri debent apud matrem tamen manebunt, quoad adoleuerint, ad triennium.
Dominus pro famulo, nonnisi quantum precij constat, respondebit.
Dominus non tenetur de facto famuli, nisi mandauerit, vel ratum habuerit illud.
Dominus cuius auriga damnum facit cum equo, vel curru, & fugit, damnum soluet, & ad maiora non obligatur.
Dominus equorũ cuius auriga aliquem curru intere-

interemit, non tenetur nisi amicis defuncti vnum Verigeldum, iudici verò nihil tribuitur.

Donationem faciens cum id facere non potest donatio nulla.

Donata contra voluntatem heredum, illud heredes repetere possunt.

Donari possunt mobilia, tempore ægritudinis actualiter.

Donatio non fit sine consensu heredũ, intellige de bonis admortuis, secus de proprio.

Donationem videns, & ei non contradicens, posthac contradicere non potest.

Donata & empta propior est possessor obtinere, quàm eum quis conuincere.

Donatio perfecta, reuocari non potest.

Donatione facta inter virum & vxorem, omnium bonorum mobilium, & immobilium, gerada nihilominus cedit cognatæ.

Dotem mulier proprio obtinet iuramento, possessionem cum testibus.

Dotem vxor viro dicitur dare, vir autem vxori donationem, propter nuptias.

Dos quandoque dicitur donatio propter nuptias, quandoq; ante nuptias, quandoq; dotalitium, quandoq; sponsalitia largitas.

Dos dari dicitur viro propter onera matrimonij, & item dos æquari debet donationi.

Dos, ex dote mulier nulla ſoluit debita.

Dotalitiũ obtinetur, etiã diuortio ſubſequuto.

Dote & donatione vxor carens in quartam bonorum viri partem ſuccedit. Iure verò municipali ad tertiam partem admittitur.

Dotem non accipit vxor quam apportauit marito, ſed loco illius capit dotalitium.

Dotalitium in bonis denominatum, & ſi peiorantur bona, obtinet tamen mulier ante omnes creditores & debitores, quibus poſt reformationem dotalitij contraxerat.

Dotalitium quamuis conſenſerit, mulier oppignorari, cum reſeruatione Iuris ſui, in bona in quibus dotalitium reformatum ſit, inprimis nihilominus obtinet dotalitium.

Dotalitium habens inſcriptum mulier, & poſtmodùm obligationem faciat cum marito, in illis bonis, vel fideiuſſoriam, libera eſſe non poteſt à ſolutione.

Dotalitium denominatum coram Viris fide dignis, ſiue ſit poſtmodùm inſcriptum, ſiue non, Vxor dotalitium probabit ſuo iuramento, poſſeſſionem verò per teſtes.

Dotalitium obtinet mulier, etiamſi à viro ſeparetur per Eccleſiam.

E

EMptam vel donatam rẽ propior eſt poſſeſſor obtinere, quam quis eum conuincere poterit.

Emptam rem, mettertius probare poteſt.

Emptori iura venditoris prodeſſe debent.

Exceptiones contra querelas duplices, peremptoriæ, & dilatoriæ.

Exceſſus commiſſus intelligitur contra nos, & contra Iuris præcepta.

F

FAlsè accuſans aliquẽ, eandẽ ſubit pœnam.

Famulus ludo amittẽs, vendens res domini ſui, eaſdem dominus repetere poteſt.

Famulus propter longum ſeruitiũ alicui præſtitũ, nõ propter hoc efficitur ſeruus illius.

Fideiuſſor non moleſtetur, quamdiu principalis conueniri poteſt.

Fideiuſſoriam non habens, cuſtodiæ eſt dandus, ſi non eſt poſſeſſionatus, non duris tamen carceribus torqueri debet.

Fideiuſſoriam ſtatuere oportet in Ciuilibus actionibus, dato quod poſſeſſionẽ habeat, ſi accuſatur pro maiori ſumma, quam ſua ſe extendant bona.

Fideiussor promittens aliquem sistere in iudicio & nō sistit, tenetur pro eo ad soluendum secundùm modū actionis in re Ciuili.

Fideiussor liberatur si se principalis solus in absentia eius statuerit.

Fideiussor non datur, qui in manuali facto detinetur.

Fideiubens in actione iniuriarum, vel pacis fractæ, & interim si reus moritur, præsentans mortuum, liberatur.

Fideiubens in Ciuili actione vel debito si moritur, illius mortem fideiussor mettertius probabit, & liberatur, heresq; pro debito respondebit.

Fideiubens pro iuramento præstando per aliquem, & ille moritur, fideiussor aut heres accusati, exequi tenetur, vel soluere pro quo iurare debuit accusatus.

Fideiussor nollens iurare, quem fideiussit, debitū soluet, & heres sibi de isto respōdebit.

Fideiussoria duplex, occasione futuri damni, & de parendo iuri.

Fideiussorem statuens ad satisfaciendum solutioni promissæ, soluente principali, fideiussor liberatur.

Fideiubens seu promittens certam pecuniam pro

pro alio, ipsi incumbit probatio super satisfactione.

Funebris pompa ante omnia expediri debet.

Funeris impensæ pro modo facultatum, fieri debent.

Furta, lusoria, spolia, heres non soluit.

Fur est duplex, manifestus, & occultus.

Fur suspendi debet.

Furtum minus trium solidorum, punitur cute, & carne.

Furtum nocturnum grauius est diurno, quare & grauius punitur.

Furtum quia communius est, grauius punitur, quare nec in sacris sepeliuntur fures.

Furti tenetur, quamuis furtum solus non fecerit, sed ope & consilio affuit.

Furans annonam, noctis tempore suspenditur, in die vero furans decollatur.

Furtum non impingitur, nisi quando quis contrectat rem alterius dolose, propter commodum suum.

Furtum non committit, si rem commodatam vltra præfixum tempus tenet.

Fur recognoscens aliquem de furto, etiamsi super id moriatur, ille propior erit se expurgare Sacramento, nisi alia superueniat probatio.

Furtum committens in animali, seu pecoribus, capite punitur.
Furtum non dimittitur, nisi restituatur ablatũ.
Furiosis, & prodigis, dandi sunt Tutores, & hi fieri debent proximiores agnati.

G

QVæcunq́ue doti accedunt, Geradæ nomine censentur, quæ Parapharna vocantur, certumq́ue omnem mundum muliebrem ad Geradam pertinere, & de illa tantùm cognatæ cedere, quantùm per defunctam in ædes mariti illatum fuerit, vasa aurea, & argentea ad hereditatem pertinent.
Intra annum & sex septimanas, repetenda sunt tàm arma bellica, quàm Gerada.

H

HEreditatis nomine appellantur bona omnia morte derelicta.
Heres si non fecit Inuentarium ad solutionẽ omnium debitorum, tenetur.
Heres negans bona percepisse, ex quibus debita soluat, si postmodùm aliter inueniatur, duplum soluat.

Hereditas carens herede, fratre, sorore, illam omnes vtriusq; sexus qui propinquiores fuerint, tollent.

Hereditatem derelictam, æquè tollit mulier, sicut & vir.

Hereditas sine consensu heredum, ac legitimo termino iudiciali alienari non potest.

Hereditas cum diuiditur, senior diuidit, iunior acceptat. In partienda hereditate seniori competit diuidendi prouincia, & minori natu eligendi prærogatiua.

Hereditatem Patris, & Matris, proles ingenua obtinet.

Hereditatem capit fiscus, non exstātibus consanguineis vltra etiam affines.

Hereditas proprijs empta pecunijs, resignari liberè potest hereditas quæ à Parētibus venit, alienari non potest, sine consensu heredū.

Ad hereditatem pertinent omnia, quæ in bonis morientium relinquūtur, in quibus masculi, cum feminis æquali iure gaudent.

Heres patris promittentis fundum aliquem resignare, non tenetur stare contractui paterno, si fortè ille non facta resignatione mortem obierit, tenetur tamen pecuniam si quam pater acceperit, reddere.

Heredes emancipati ad diuisionem cum reliquis coheredibus non admittuntur, nisi prius tantùm contulerint, quantùm constiterit eos antea accepisse, quæ verò parentes liberis in armis vestibus, ornamentis, & reliqua supellectili domestica dono dederint, conferre non tenentur.

Homicidio nedum tenentur qui illud patrârunt, sed & alij tanquam socij & auxiliarij.

Homicidæ non omnes puniendi, vt patet de illis, qui in defensa aliquem occidunt.

Homicidij accusatus querela simplici, euadet per innocentiam solus.

Homicidio vel pro vulnere mulier detenta, æquè conuinci potest sicut vir, si verò honesta mulier de homicidio illo idem die patrato accusata sit, dataq; ad fideiussoriam propior est metseptima euadere, quam quod conuincatur, si factum sit pernoctatum, sola euadet.

I

IMpetant si duo rem vnã apud me, nulli eorum datur, nisi prius iure inter se discernãt.

Iniuriarum actiones, ciuiliter, & criminaliter institui possunt.

Iniu-

Iniuriam æſtimare quidem actor poteſt, Iudex tamen prout iure deſcriptum eſt, eandem taxabit.

Iniuriarum actiones, occaſione furti, homicidij, violentiarum, cum clamore proponendæ ſunt.

Iniuria prouocatus ad iram, ſi verba iniurioſa dixerit, non tenetur de verbis iniurioſis.

Iudex æquum ſeſe præſtet vtriq; parti, Iudicis officium eſt, prouidere de Aduocato pupillis, feminis, debilibus, & his qui ſuæ mentis non ſunt, & qui per potentiam opprimuntur, etiam non petentibus.

Iudex curare maximè debet, vt in ſimilibus caſibus, ſimiles ferat ſententias.

Iudex ſecundùm ius ſcriptum, & non ſecundùm ſuam notitiam iudicare debet, etiamſi ſciat aliquem inſontem eſſe.

Iudex ſciens aliquem inſontem homicidij, vel alicuius facti, ſecundùm probationes, & nõ ſecundùm ſuam ſententiam iudicabit.

Iudicium ſubterfugiens, videtur de ſua iuſtitia diffidere.

Iudicari non debet ſuper imprægnatam mulierem, intellige quoad exequutionem ſententiæ.

Iudex nemini præiudicare debet, propter timorem, auaritiam, odium & amorem.

Judex quilibet prouidere debet, ne ſubditi depauperentur.

Iudex tutiùs agit, cum accuſatum ex opinione liberum dimittit, quam quod eundem ex dubio occidat.

Iudicij in loco depingi debet imago extremi Iudicij, vt Iudex recogitet, quod & ipſe ſententiabitur.

Iurare non oportet, ſuper his quæ manifeſtè apparent.

Iuramentum, delatum actori per reum, neceſſe habet iurare.

Iuramentum in iuramento magis attenditur animus, quàm verba.

Iuramento neceſſario vt adſit veritas, ſinceritas, iuſtitia, aliâs periurus erit.

Iuramentum ex inopia probationis venit.

Ius fauorabilius eſt, ad eliberandum vnum, quàm ad condemnandum.

Juris plus nullus alteri conferre poteſt, quàm quod ſolus habuit.

Ius omne quo vtimur, vel ſe extendit ad perſonas, vel ad bona, ſeu querelas, aut ad actiones.

Iuris

Iuris ſtrepitu multa admittuntur, quæ tamen tamen in foro conſcientiæ non valent.

L

LEgalis impedimenti quatuor ſunt Cauſæ, captiuitas, infirmitas, peregrinatio extra fines, & publica expeditio.

Legalis impedimenti Cauſæ, aliæ, Inundatio, equi amiſſio, negotiatio, omnes tamen reducuntur ad quatuor primas cauſas.

Legale impedimentum per nuntium importatur, & iurando cõfirmatur per nuntium, vel per illum, qui importari procurat.

Legale impedimentum eſt in arbitrio actoris admittere probationem, ſeu nuntio, ſeu illi cum venerit, reo.

Legale impedimentum ſi non probet veniendo ruet in Cauſa.

Leges æquè inſeruire debent diuiti, ſicut pauperi.

Leges fruſtra eſſent, niſi ſint hi, qui leges defendant.

M

MAlefactorem tutius eſt per ius occidere, quàm viuere permittere.

Mani-

Manifeſto facto deprehenſus, ſtatim Iudici præſentari debet. (citur teſtibus.

Manifeſto facto deprehenſus, ſeptem cõuin-

Manuali facto deprehenſus, non datur ad fideiuſſoriam.

Moriatur puer poſt obitum patris, mater in hereditate ſuccedit.

Mortuus infra triduum poſt vulnus, præſumitur quod ſit ex vulnere mortuus.

Mors pro morte agnati, agnatus ex parte gladij agit, & non ille ex parte matris.

Mulier ob culpam mariti non conuenitur, nec bona perdit.

Mulier imprægnata ante obitum mariti, aut infra triceſimum ſi ſe prægnantem oſtenderit, poſthumus hereditabit.

Mulier prægnans relicta poſt mortem viri, eijci à bonis non debet.

Mulier imprægnata, ſi delinquit in pœnã corporis, ſeruanda eſt quoad fetũ enixa fuerit.

N

NEgligentia ſeu ex improuiſione commiſſum ſi quid ſit, Verigeldo abſoluitur.

Negligentia ſeu improuiſio eſt grauis exceſſus, quæ eſt mater omnis noxæ.

Negli-

Negligentia eſt cuilibet nociua.

Negotium gerens alienum non interueniente ſpeciali pacto, caſum fortuitum ferre non compellitur.

Nomina & verba, rebus adæquari debent.

Nundinis, foralibus, quæ quis emit, ſtatim ſoluere tenetur.

O

OBligatur nemo ex contractu alterius, nec maritus pro vxore, & è contra.

Obligata bona, nec vendi, nec varendari poſſunt, niſi in illa ſumma, in qua obligata ſunt.

Obligata bona, nunquam præſcribunt.

Occidens aliquem qui eum occidere vult, manet ſine damno.

Occidens aut vulnerans pacis Violatorem, nihil demeretur ſi iurare audet metſeptimus, quod in facto, aut in facti fuga, id fecerit.

Occidere vnus impunè alium poteſt, ſi noctu in domo ſua occluſa, eum præuenerit, ſiue furetur, ſiue non.

Occiſus in facto, cum violentiarum clamore, iudicio præſentari debet.

Occidens patrem, fratrem, aut alium de cuius

morte successionem expectabat, perdit ius illud successionis, nisi forsan ignoranter, vt iuris est, id fecisse probauerit.
Occisus puer à puero, tutor resarciet damnũ.
Occidens canem, vrsum, aut simile animal nocere sibi volens, in sui defensa, si iuramento id probauerit, nihil demeretur.
Opinio, ex opinione nec iurandum, nec iudicandum, nec credendum est.
Opinio, tutiùs est ex opionione vnum liberũ dimittere, quàm quod ex dubio occidere.

P

PAter post mortem vxoris pueros habens, omnia materna bona eis restituere tenetur, itidem & mater, intellige tamen de immobilibus, quia mobilia lucratur maritus.
Pater tollit bona, per filium derelicta.
Pater succedit filio, post illum mater, si vterq; non sit, extunc fratres.
Pœna semper minuitur, dum de excessu dubitatur.
Pœna talionis punitur, si quis occisum ducat in iudicium, & eum pacis violatorem accuset, in actioneq; deficiat.
Pœna talionis punitur, si accuset aliquem cum dispen-

diſpendio honoris, vel corporis grauitate, & ille ſe expurgauerit.

Pœna maior eſt priuatio honoris, quàm aliqua pœna corporalis.

Pœna iuxta quantitatem exceſſus infligendæ ſunt.

Pœna nõ infligitur illis, qui ex improuiſione factum committunt, niſi emenda.

Pœnæ & mulctæ differentia, quia pœna fit in membris, emenda in ſolutione pecuniaria.

Pœnam mortis non demerentur, pueri, & furioſi.

Pœna vbi non eſt iure deſcripta, eam iudex magis moderari debet, quàm adaugere.

Pignore ſe quilibet tueri poteſt contra debitorem.

Pignus loco fidei datur.

Pignoratæ res nunquam præſcribunt.

Pignus reddere oportet non peioratum, vel ſoluere ſecundùm valorem.

Pignore ſe tuens contra Creditorem, pignus iſtud per Iudicem taxari debet, an valeat ſummam necne?

Poſſeſſor rei faciliùs poteſt probare mettertius, illam rem ſuam fore, quàm quod actor contra eum agat.

Poſſiden-

Possidentis Conditio melior est, quàm illius qui alloquitur.

Possessio appellata, quasi pedum positio.

Possidens bona anno & die, illorum verus efficitur possessor.

Possideri non possunt violenter occupata, furtò ablata, & item res Ecclesiæ.

Ad verã possessionẽ requiritur bona fides, vt scilicet venditorẽ, vel eum à quo ius quæsitum nactus est, emptor, credat esse verùm dominum rei sibi traditæ.

Præscriptio mobiliũ, anni spatio terminatur.

Præscribi non possunt famuli nobis seruientes, serui fugitiui, res sacræ, res furtiuæ, & per violentiam occupatæ.

Præscribi non possunt bona obligata, vel oppignorata.

Præscriptio cõtra absentem fit 30. annis anno & die, contra præsentem anno, & die.

Præscriptio contra illum qui donationem videt & ei non contradicit, fit in instanti.

Præscriptio sequens rei traditionem, confirmat emptori dominium.

Præscribi mulier non potest in iure suo, nec puer quia sunt sub tutela.

Præscriptio ob id adinuenta, ne rerum dominia essent in incerto,

Præ-

Præſcriptio non procedit ſine titulo & poſſeſſione, quæ eſt fundamentũ præſcriptionis.

Pueris iuſta ætate careń. nulla nocet præſcriptio, niſi egreſſi annum 14 per vnius anni & ſex Septimanas ſpatium tacendo, iuri ſuo derogauerint.

Probatio vbi defuerit, iuramentum reo cedit.

Probatio contra iuramentum non admittitur.

Probatio ei incumbit, qui dicit ſeu allegat, non ei, qui negat ſecundùm leges.

Probatio negotij per teſtes neceſſariò venit ſiue coram Iudicio, ſiue extra actum ſit.

Probatio manualis facti eſt metſeptima in criminalibus, in ciuilibus verò mettertia.

Pupillus apud ſuſpectum Tutorem educari non debet.

Pupillorum bona diuendi, nec impignorari poſſunt.

Pupillorum bona peiorari non debent.

Pupilli vendita per Tutores bona, recuperare poſſunt, poſtquam annos attigerint, ad vnum annum ſi ſunt præſentes, ſi abſentes ad 30 annos & anno & die.

Pupillorum bona per Creditores occupata, pupilli eliberant.

Pupilli ſine Tutore querulari non poſſunt, nec

quicquam facere, nec bona ſuſcipere, etiam in vtilitatem ipſorum.

Q.

QVerelæ omnes in abſentia alicuius propoſitæ, tribus vicibus coram Iudicio proponi debent.

Querulari licet etiam pro minima re.

Querela reconuentionalis, vbi quis aliquem conuenerit, ibi licitè etiam reconuenietur. Tres ſunt cauſæ quando vnus viceuerſa accuſari, ſeu reconueniri non poteſt, Primò, ſi quis criminaliter accuſauerit te, eundem criminaliter viceuerſa accuſare nō poteris. Secundò, ſi accuſas aliquem pro feudo, ille te ſuper proprio accuſare non poteſt, niſi in eodem Iudicio ſituatum ſit. Tertiò, reſpondere etiam iure reconuentionali non teneris, niſi coram tuo domino.

Querulari neceſſariò tenentur nullo etiam inſtigante tria hominum genera: Primò, Tutores pro iniuria pupillorum, ſi enim tacuerint, damnum eueniens rependere tenerentur. Secundò, pueri mortē ſeu homicidium ſuorum parentū, quia aliâs exhereditarētur. Tertiò, Vir pro vi vxori ſuæ illata, quia aliâs efficeretur infamis.

Que-

Querela, in querela quàm quis desistere vult tria vitanda, vt non incidat in pœnam Iudicis. Primò, quod diffamatoriè querelam non instituat, vt pote furem vel latronem eundem nominando. Secundò, quod testes non nominet, nec se ad illos trahat. Tertiò, quod aduersarium violenter non inuadet, quodsi aliquid horum incurrerit mulctam Iudici & accusato emendam soluere cogitur.

Querela duplex. Transitoria, & perennis: Transitoria, quæ vnà cum persona contra quam querulatur cessat: Perpetua seu perēnis actio, quæ etiā ad heredes deuoluitur.

Querela, exceptiones contra querelam sunt duplices. Peremptoriæ, quæ totam destruunt Causam, sicut si contra me queris pro decē, ego verò dico quod te deferēte super eo iuraui & absolutus sum, destruo tibi in toto querelam. Alia est dilatoria & temporalis, vt si me accusas pro decē, ego verò dico adhuc esse tēpus solutionis vnius anni, hîc protraho querelam, sed non destruo.

R

RESignari non potest hereditas sine consensu heredum, si illa hereditas non sit

ſibi abſceſſa, vel reſignata, hereditas verò empta, cuilibet reſignari poterit. Hereditas quæ à parentibus venit, reſignari non poteſt, ex eo, quia reſignata non eſt.

Reſignationem accipiens, neceſſariò cum Iudice & Scabinis ad domum ire debet ad acceptandam Intromiſſionem, & tandem ad Iudicium viceuerſa veniat, ad confirmandum reſignationem. & poſſeſſionem.

Reſignatio in illo Iudicio eſſe debet, vbi hereditas ſita eſt.

Reſignans proprietatem varendare illam debet anno & die.

Reſignatio bonorum nociua eſt illis qui præſentes ſunt & ſilent, illis verò qui abſentes ſunt, minimè obeſt.

Reſponſio triplex ad querelam occaſione debiti, & vna quæq; ſpeciale ius habet, ſi dicis quod mihi nihil teneris, tibi iuramẽtum venit, ſi dicas quod te quitum & liberum ex huiuſmodi debito feci, ego contradico cum meo iuramento, ſi dicas quod ſoluiſti, trium hominum venit iuramentum.

Reſpondere mulier pro rebus mariti non tenetur, quæ ipſe tempore vitæ diſtraxit.

Reſpondere filius non tenetur pro patre defun-

defuncto, occasione iniuriæ, vel violentiæ factæ.

Respondere dominus non tenetur pro famulo, duntaxat quantum pretij eius sit, nisi forsan aliter stipulatus fuerit.

Respondere non tenetur pluribus, super vno conquerentibus, nisi à primo sit absolutus.

Respondere proscriptis & excommunicatis vnus non tenetur, illi verò omnibus de se querulantibus, respondebunt.

Respondere vnus in alieno iudicio nō tenetur.

Responsio est duplex, vel contra querelam, vel ad querelam. Contra querelam, quia videlicet se defendit, quod respondere non debeat, & hoc septupliciter. Primò, quia forsan est proscriptus. Secundò, si pupillus queruletur sine suo tutore. Tertiò, diebus feriatis & festiuis respondere vnus non tenetur. Quartò, si actio antehac coram Iudicio ventilata & finita sit. Quintò, si Iudex coram quo conqueritur, non sit Iudex ordinarius respondentis. Sextò, si actor nollet respondere, ad proposita respondentis. Septimò, respondere non cogitur quis coram Iudice, qui Ius sibi antehac denegauit. Vnde si quis vnam ex his cautelam præ se

habuerit, defendere ſe poterit, quod non respondeat. Ad querelam reſpondet aliquis, quando quis affirmat vel negat, & hæc dicitur eſſe litis conteſtatio, & qui ſic reſpondet ferendarium poſtmodùm habere non poteſt.

S

Sententia lata cui non contradicitur, tribuit ius ei qui non habet, & alteri aufert.

Sententiam latam per arbitros increpare, non licet.

Sententia ſeu hortilegium, nil aliud eſt, niſi decretum, & deciſio, quam Iudex in iudicio facit, per quam vnum abſoluit & alium condemnat.

Sententia ferri debet, ex propoſitione, & reſponſo.

Sententia per quam pronuntiantur bona rei per actorem conuenti vendi debere, eſt interloqnutoria, non definitiua, & ideò reuocari poteſt, vbicunque rationabilis ſubeſt cauſa.

Sententiam audiens & non appellans, vlteriùs non habebit appellandi locum.

Sententia etiam appellata ligat, nec datur ap-

pellandi locus in certis casibus: Primò, quando edicitur ab illis, qui superiores se non habent. Secundò, si appellare vel increpare vellent, qui id facere non possunt, vt sunt illi, qui criminaliter accusantur. Tertiò, si tempus neglexerit increpandi, iure enim ciuili tempus est appellandi in instanti, & iudicio durante. Quartò, à Iudice qui fit per electionem, vt arbiter, illius sententiam increpare non potest.

Sententia ferri non debet, nisi præcedant probationes.

Sententia non ligat contra absentem.

Solutio fit quatuor modis: Primò, quando illud idem restituitur, quod accommodatum fuit, & illud videri & audiri potest. Secundò, solutio fit ex recompensatione, sicut si tu mihi debes decem, & ego tibi triticum ad vnam diem, ita quod vnum non excedat aliud in valore, hic vnus non videtur alteri quicquam debere, quia quantùm vnus alteri, tantùm ille vicissim sibi, illa solutio fieri potest, quod eam quis non viderit, nec audierit, vocaturq́; in legibus, solutio ex recompensatione. Tertiò, si soluo alicui, qui sit mutus, huiusmodi solutionem nisi quis

videre poteſt, ille enim loqui non potuit, & ita me liberum dimittere per verba non valebat. Quartò, ſi debitum meum in alio debitore tibi abſcedam, & tu illo contentari vis, hæc ſolutio duntaxat auditur, non tamen videtur.

Solutionem allegans, probare illud tenetur.

Solutio, naturale eſt, vt eo modo quis liberetur, quo pacto obligatio facta ſit

Solutio quandoque fit contra velle alicuius, quam quod ſibi promiſſum eſt, ita quod ſi promiſſa pecunia ſit, mobilia accipere cogitur.

Solutionem debitorum, Creditor præſtolare, ſeu eandem expetere trifariam cogitur. Primò, quod contra debitorem eum agere primùm oportet. Secundò, quod creditor expetere debet, &quærere ſolutionem à debitore, primùm in bonis mobilibus. Tertiò, quod tandem quærere eum ſolutionem oportet ſuper bonis immobilibus debitoris, & illa acceptare tenetur, prout Iudex taxauerit: habet tamen optionem inter eius omnia bona, ex neceſſitateq; creditor immobilia acceptare tenetur, quamuis aurum vel argentum ſibi promiſſum ſit.

Teſti-

T

TEſtibus ſi quis me inculpat, cum teſtibus purgari me oportet.

Teſtimonio non poſſunt vinci virgines, & mulieres.

Teſti obijciens inhabilitatem, in inſtanti probare eum oportet.

Teſtificari vnus poteſt, vel ex viſu, vel ex auditu,

Teſtes interrogandi ſunt de loco, hora, tẽpore.

Teſtificari non poteſt, niſi ſit homo liber.

Teſtimonium non valet, niſi præcedat iuramentum.

Teſtificari non poteſt, niſi prius iuret.

Teſtimonium duum proborum hominum plus valet, quam centum prauorum.

Teſtimonio tali vnus ſe expurgare tenetur, quali contra eum agebatur.

Teſtibus ſe probaturum offerens, & deficiens, cauſam illam perdit, quàm probaturus eſſet.

Tranſactio hoc eſt reconciliatio, pax ſtipulata in iudicio concepta, duobus teſtibus probatur, extra iudicium verò ſeptem, intellige in Criminalibus, in Ciuilibus verò tribus.

Transactionis authoritas, nō minor est, quàm rei iudicatæ.
Transactio eandem vim habet, sicut sententia.
Transactio maximè custodienda est, in tantumq́; valet sicut iuramentum, super pace factum.
Transactioni datum negotium à iudicio & compositum, innouari non debet, nec respondere pro eo vnus cogitur.
Tutor quilibet bona pupillorum postquam se ab inuicem separare voluerint, restituere tenetur.
Tutor cautionem facere tenetur, ne res pupilli deperdantur.
Tutores necessariò dantur, prodigalibus sicut & furiosis.
Tutor in Iudicio respondebit, pro pupillo.
Tutorem accusare potest Mater, auia, & quælibet mulier, & istud ius est speciale in fauorem tutelæ sancitum.
Tutores sunt duplices. Datiui, & naturales. Datiui vel testamēto vltimæ voluntatis, vel à magistratu assignantur: Naturales sunt agnati, cognati, Mater, auia, sed his omnibus præferuntur. Testamentarij, etiam si non sint possessionati, satisdare non compellun-

pelluntur, eò quod fides illorum testatoris Iudicio, videtur esse approbata.

Tutor functionem suam à conscribendo Inuentario, auspicari debet.

Tutor non tenetur de casu fortuito, sed duntaxat de dolo, & lata culpa: Est autem lata culpa, nimia negligentia, id est, non intelligere, quod omnes intelligunt. Neq; rationem reddere, nec satisdare tenentur Tutores, quos manet expectatio successionis pupillorum.

Tutoribus non licet bona pupillorum vendere, nisi sex legitimis de causis: Prima soluendi dotalitij gratiâ: Secunda, propter pupillorum famem: Tertia, si bona à violentis occupatoribus non possent defendi: Quarta, propter extremã paupertatẽ: Quinta, propter damna ex obligationibus seu vsuris prouenientia. Sexta, propter necessitatem soluendorum liquidorum debitorũ.

A tutela excusantur minores 25. annis, septuagenarij, parentes numerosæ sobolis, ægroti, pauperes, publicis officijs destinati, denique & hi, quibus cùm parentibus pupillorum inimicitiæ intercesserint.

Tutores sæpenumerò authoritate Iudicis dã-tur mulieribus, ad actiones prosequendas, sed cessante Iudicio, illorum tutela perire solet. Contra Tutorẽ suspectum, vel malæ administrationis reum, actionem intendere potest, mater, auia, amita pupilli, vel alia quælibet mulier, quæ ex bona fide id agere videtur.

V

VEnditor tenetur defendere emptorem in foro emptoris, venditor emptoris varendator seu euictor esse debet.

Venditio, Conditio in venditione vel emptione apposita, obseruanda plurimùm est.

Venditio esse debet, cum denominatione summæ.

Vendere qui vult aliquid; debet esse rei dominus.

Vendita & donata citiùs obtinentur, quàm is qui vendidit, negare poterit.

Venditor ius suum emptori in subsidium defensæ tribuere debet.

Venditionem bonorum nulla neq; traditione, neque præscriptione confirmatam, heredes venditoris non tenentur ratam habere,

eo quod illi restitutis pecunijs extraneo (vt antea quoq; dictum) præferantur emptori.

Venditor regulariter de euictione tenetur, nõ solùm quod res à vero domino sit empta, sed etiam de vitijs latentibus rei venditæ, si verò in rem venditam & traditam committatur iniuria, aut violentia, quia nihil interest venditoris, non tenetur de euictione.

Si venditione peracta, & traditione non subsequuta, quæ est fundamentum venditionis, casu fortuito res vendita perierit, ad venditiorem pertinere cẽsetur, vniuersum periculum: Emptor nihilominùs datam quoque arrham perdere cogitur.

Ad Emptorem autem post traditã sibi mercem pertinet omne periculum rei vẽditæ: Idem sentiendum de fundi emptionibus, qui vt primùm emptori per resignationem traditus fuerit, eodem momento omnes casus fortuiti, in Emptorem redundant.

Jmaginaria & vmbratilis venditio, precio non accedente, sine quo nulla emptio esse potest.

Violentia illata virginibus & mulieribus, cum clamore conqueri debet.

Violatorẽ pacis interficiens, vel vulnerans, ni- nil de

hil demeretur, si iuret eum in facto vel facti fuga occidisse.

Violentia & irruptio domorũ probari potest vulneribus, & sectione ædificiorum.

Violentiæ accusatus homo probus si sit, extra manuale factum, euadet metseptimus.

Violentiam si virgo sparsis crinibus ad iudiciũ veniendo contra aliquem declaret, & accusatus liberè non vinctus ad Iudicium veniat, absoluitur mettertius.

Violentia vi, & armis propelli debet.

Violentia non est in verbis, aut voluntate, si actio non subsequatur.

Voluntatem suam nullus immutare debet cum damno alterius.

Vsufructuarius tenetur ad refectionem domus, & ad tributum.

Vsuram non esse peccatum dicens, pro hæretico reputatur.

Vsurarium facit spes lucri prouenientis.

Vulnerans aut occidens aliquem, & eum iudicio præsentet, volens eum pacis violatorẽ comprobare, si non perfecerit, ipse solus condemnatur.

Vulneratus aliquot vulneribus in vno membro, in vno actu, & non occiditur, dimidio verigeldo liberatur.

Vulneratus ſecundario in alio membro, verigeldus multiplicatur.

Vulnerans, ſpolians aliquem, ſi infra annum, non agitur contra ipſum, & ille moritur, heredibus reſpondere non tenetur.

Vulnere pro vno niſi vnus impetitur, operæ & auxilij poſſunt plures incuſari, illa tamen incuſatio eſt ſimplex, ſed ſi recognoſcant, æquè culpabiles ſunt.

Vulneratus ſi plures accuſauerit, quàm vulnera ſint, alij omnes vltra numerum vulnerum accuſati euadant.

Vxor relicta, quæ nec dotem, nec donationem nuptialem habet, in quartam partem bonorum viri ſuccedit: Iuxta verò aliquarum prouinciarum conſuetudinem, in tertiam: Secundùm verò ius Municipale ſi labore mutuo bona vir & vxor acquiſiuerint, vxor relicta, in tertiam ſuccedit bonorũ partem.

De Pro-

De processu Iuris, & Iudiciis Ciuilibus Supplementi, PARS ALTERA.

PRO diuersitate Causarum Ciuilium, sunt quoque diuersa Iudicia, è quibus (missa nunc alia faciendo) sunt præcipua bina.

Inprimis Iudicium expositum bannitum, in quo Causæ hereditariæ quæstionis, fundi videlicet occasione tractantur, & iuramenta exequuntur.

Judicium id, licet pro more & consuetudine antiquitùs obseruata, certis definitis in anno temporibus, solennitatibus iuris adhibitis celebretur, seu vulgari dicto banniatur, ingruente attamen legali necessitate, aut recentis Criminis, aut condendi in vltimo vitæ articulo Testamenti, sæpiùs interdum extra cadentiam ordinariam celebrari, & banniri consueuit, vocaturq; tùm temporis Iudicium Expositum Opportunum, necessariò bannitum.

Aliud

Aliud Iudicium Officij de plano, quod ſimpliciter ſine figura iuris & ſtrepitu iudiciario, bis in ſeptimana, ſecunda, & ſexta ferijs (excepto iuſtitio & diebus Sacris) exercetur, in quo Cauſæ omnis generis, præter fundum & fundi differentias agitantur & definiuntur, in quibus ſi iuramentum alterutri partium decernatur ad præſtandum, Cauſa cum partibus ad Iudicium proximum Bannitum remittitur.

Ad vtrumq; Iudicium vocantur accuſandi, ſeu communi vocabulo citantur Citati, dica ſeu Citatione aut verbali, viua voce præconis iurati Ciuilis, (qui Bedellus dicitur) à Iudice eo additi, verbotenus indicto & aſſignato ſibi ad comparendum certæ diei Termino, Aut literali ſeu ſcriptà Citatione, præcipuè in Cauſis grauioribus: Cùm citantur verbaliter, neceſſàrio in primitiua Citatione præueniendi ſunt domi ſuæ perſonaliter citandi, alioquin illa nil valebit Citatio, ſecus cenſendum de literali quæ valet, quamuis Citatum perſonaliter non præueniat.

In Citatione literali Circumſtantiæ conueni-

entes, videlicet quis citat, quem, vbi, ad quem diem, ſuper quo, & ad cuius inſtantiam, neceſſario exprimendæ, & ſpecificandæ ſunt.

In actione recentis manualis facti, Citatio eſt realis & violenta, cùm in recenti cæde, violentia, & manuali facto, facinoroſus, deprehenſus ſtatim ſua in perſona capitur, & ad ius recentis Criminis, (quod vernacula lingua *Gorace Práwo* ſonat) iudicandus præſentatur.

Super citationem illam vtramq; verbalem, & literalem, conſequitur duplex proceſſus iuris, aut

In Contumaciam:

SI Citatus ſeu Reus Conuentus, pro primo primæ Citationis Termino, nec per ſe, nec ſuum Mandatarium (quem in iure Ciuili Ferendarium, Communiter autem procuratorem, & Plenipotentem vocant) comparuerit, fit Contumax primò ex inſtantia huius & huius actoris, & occaſione eius atq; illius rei, iniuriæ, debitiué, ac in pœna Contumaciæ, primo in Termino, in ipſa Iudiciorum determinatione, ex perſonali verbali

verbali assignata, seu scripta (vt præco retulerit) posita Citatione.

In secundo deinde secundæ Citationis Termino, vbi iam non requiritur personalis præuentio Citati, fit ille à Iudicio disparens, secundò Contumax, adiecta eidem Condemnationi, executæ Citationis, præconis, seu Bedelli relatione.

Tandem tertia, super tertiam seu vocalem seu literalem Citationem vice, pronunciatur Citatus se se coram Iudicio, vel per se vel suum Plenipotentem non manifestans, Contumax tertio, & illicò condemnatur ab actore in succubitione Causæ, saluo legali impedimento.

Legale impedimentum dicitur, iusta & legitima à Iudicio rei Conuenti absentiæ causa, cuius sunt species (vt habetur in articulis) singulares, quatuor: Captiuitas, Infirmitas, Peregrinatio, expeditio generalis bellica: Ex his aliæ promanant. Inundatio videlicet seu diluuiũ aquarum, pontis fractio, equi amissio, negotiatio extra Regnũ.

Quarto deniq; in Termino, post ternam Contumaciæ pœnam, Citatus quarta vice ad inferendum legale impedimentũ, reus Con-

uentus, si similiter sese Iuri subtraxerit, impedimentum legale importare, & illud cõprobare neglexerit, in leuioribus quidem Causis, in summa debiti, aut re & taxa damni, controuersis, quæ iure euincuntur, ac processui tali lucrãtur, decernitur super Citato ex instantia actoris, pignoratio bonorum: In Causis verò grauioribus, vt potè fundi bonorumq; immobilium ratione, decernitur in Contumaciam Citati, in bona eadem veluti iam iure lucrata, in vim succubitionis Causæ, Intromissio.

Quarum vtramq; tàm pignorationem, quàm Intromissionem si Citatus temerè & rebelliter seu per se, seu sub ordinatam suam personam denegauerit, eo nomine Citatus, nõ comparens, nec ordinario modo tollens processum super se obtentum, tanquam rebellis, damnatur ad pœnam Bannitionis & proscriptionis, qua lata, & promulgata, vltimariè pro executione finali Citatus, & rebelliter iuri sese subtrahens destinatur, ad carceres publicos mancipandus, seu decernitur super eo captiuatio fortis, mota si adeò potens fuerit, non tantùm Contuberniorum, sed etiam totius plebis seu Communita-

munitatis manu: Capti autem ad carceres coniectio, inclusio, ac in ijs vsq; ad satisfactionem, detentio.

Hoc loci notandum: quod si Citatus post obtas Contumaciarum pœnas, seu aliquam earum, comparuerit, sese in Causa iustificaturus, non admittitur ad Causam priusquã expensas in Citationes & condemnationes erogatas, actori, Iudici verò mulctam seu pœnam iudicialem, persoluerit: Porrò processus alter talis

Per Controuersiam:

Si Citatus reus Conuentus, non passus sese pœnis Contumaciarũ, ac subsequenti processu in sui Contumaciam innodari, iuri morem gerens pro primo Citationis primo Termino, compareat, velitque ante litem contestandam, seu experimentum, de re, & principali negotio, exceptionibus iuridicis, quarum aliæ sunt dilatoriæ, aliæ peremptoriæ, vti: Extunc de beneficio iuris publici ad suam Iudicialem affectationem, dantur & conceduntur sibi iuridicæ infra scriptæ.

Dilationes.

Quamuis ex præſcripto iuris Ciuilis originalis, binæ ſint duntaxat ad Iudicia quoque bina, ad primam & alteram quindenã, vna ad conſtituendum procuratorem, eo verò conſtituto, altera ad reſpondendum dilationes: vſus tamen & conſuetudo, quæ pro lege habetur, alias introduxit, nempè ad præmeditandum, ad colloquendũ cum Procuratore, & ad munimenta dilationes: Sunt præterea in iure Ciuili vſitatæ ſpeciales aliæ, quarum nonniſi in certis Cauſis & Terminis vſus fieri ſolet, videlicet ad Euictorem, qui munimentis probari poterit, ratione occupationis bonorum, viſionis in Cauſis iniuriarum, & differentiarum fundi, veræ infirmitatis, in actu aliquo perſonali, & præſtandi iuramenti; ſtatuendos teſtes, & ad producendam quietationem, pro Iuris & Terminorum exigentia neceſſariæ dilationes, quæ niſi probentur ſuccũbit Citatus in Cauſa: Jn cauſis attamen ſimplicium iniuriarum facti, debitorumuè verbalium, ad munimenta, & viſionis, locum non habent dilationes.

Obſer-

Obſerua

Jn Cauſis Criminalibus recentis Criminis, nullæ dantur de Iure dilationes.

Dilationibus præallegatis abſolutis, primariè pars Citata ab actore præſertim impoſſeſſionato, nè is temerario ſuo litigio ſe in damna, moleſtias, ac impenſas iuris minus neceſſarias, inducat, & occaſionem damni ſubminiſtret, petere debet cautionem:

Cautio vel fideiuſſoria, vel iuratoria, ſuper reconueniendo & ſoluendo litis expenſis, quam actor præcipuè non poſſeſſionatus omninò de Iure præſtare tenetur.

Et reciprocè reus Conuentus impoſſeſſionatus, de parendo Iuri, ſoluendo iudicato, & litis expenſis, ad eandem præſtandam actori obligatur.

Subditis Nobilium debita à Ciuibus ſibi contracta & retenta iure repetentibus, vel alias quaſuis iniurias ſuas iure Ciuili vindicantibus, ne ob inopiam fideiuſſorum à Cauſa ſua repulſam patiantur, exceptis. In Cauſis attamen fundi, adeundæq; hereditatis iure propinquitatis, ſeu alio quouis

iuris prætextu, quæ in ſerum protrahi poſſunt, eam illi præſtare tenentur.

Cautionis quæſtione deffinita, & effectum ſuum ſortita, ſequuntur

Exceptiones peremptoriæ contra Actorem, Procuratorem, Iudicem, Iuriſdictionem, Mandatum ſeu Plenipotentiam, & Citationem.

1. Actorem, quod locum ſtandi in Iure non habeat, ſi ſit proſcriptus, excommunicatus, Infamis, Pupilli Minorennes, ſine Tutore legitimo datiuo vel naturali, ſurdi, muti, inſenſati, furioſi, prodigi, quibus bonis interdictum eſt, ſine Curatoribus. Mulier maritata ſine marito, agere iure in Iudicio Ciuili nequeunt.

2 Procuratorem, quod ſit capite diminutus, iure priuatus: Ob ætatem, ſtatum, & iuris imperitiam gerendo huic muneri minus aptus, & idone9, ſufficienti ſi careat mandato, quod Plenipotentia forenſi vocabulo nuncupatur.

3. Iudicem, quòd ſit ſuſpectus, excommunicatus, proſcriptus, tetra infamiæ labe notatus, periurus, officio degradatus,

datus, surdus, mutus, furiosus, impubis, mulier, Hæreticus impius, inimicus, Consanguineus, ab aduersa parte deprauatus, non iuratus, impossessionatus.

4. Iurisdictionem, Si Citatus in alieno foro extra suam propriam iurisdictionem conueniatur. Actor quippè forum rei sequi tenetur, siue in rem, siue in personam actio dirigatur. Respectu tamen bonorum iurisdictioni Ciuili subiectorum, persona tametsi Equestris Ordinis, aut status & conditionis spiritualis ea bona Ciuilia possidens, prout onera Ciuilia ex ijs bonis pendere, ita forum & iurisdictionem Ciuilem, respectu & occasione duntaxat bonorum eorundem ipsorum Ciuilium, pro oneribus omnibus, & iniurijs inde emergen. tollerare, (nil prærogatiuæ, dignitatique suæ personæ derogando, & præiudicando) tenetur.

5. Mandatum, seu Procuratorium, aut Plenipotentiam, quod non sit authentica, non sufficiens, vel quod sit generalis, cùm debuit fieri ad hanc vel illam causam specialis, vel etiam specificata ad vnam causam, & ad alias causas quæ proponuntur, sese non extendat,

attentandi iuramenta, indulgendi, Intromissiones offerendi, summas leuandi, de leuatis quietandi, clausulam seu facultatem expressam in se non habeat, sit inueterata aut reuocata.

6. Citationem, Si illa non domi, residentiaué, aut bonis proprijs Citati, videlicet in itinere, foro publico, loco peste infecto, contagioso, ab insultu hostium minus securo, templo, balneo, taberna, in die feriato seu festo, & ad diem festum, in arctiori tempore videlicet non in triduo ante Terminum, sit posita & denunciata, siue illa fuerit verbalis, siue literalis.

Exceptiones præallegatæ sunt tanquam præludia seu præambula quadam in iure, quæ tantùm Causam & Terminos iuris in longum differunt, quibus expiratis & sopitis, dum itur ad principale negotium discutiendum, seu ad illud (accessorijs omnibus posthabitis seu in partem reiectis) respondendum est, restat

Litis contestatio, quæ in Iure Ciuili dicitur principium formale Iudicij, quam facit propositio, & responsio, & per litis contestationem reus subijcitur Iudici. Iure itaq; de re ipsa

re ipſa & negotio principali, abſq; quibuſuis ambagibus experiendo, neceſſario hîc adhibendæ ſunt, quæ in Iudicio rei dubiæ faciunt fidem, & legitimam declaratione͂, opportunæ

Probationes:

Probationum eſt Species multiplex, aut per teſtes, aut per faſſionem, aut per documenta literatoria, aut per iuramentum.

Si itaque aliquiſpiam ſuam propoſitionem & eius contenta ſtudeat teſtimonio fidedignorum teſtium declarare, ſeu verificare, datur ſibi ad producendos & ſtatuendos teſtes ad quindenam iuridica dilatio, quod verò licet actori, licet & reo, ſi Citatus viciſſim ad eoſdem ſeſe recipiat, ad perhibendum veritati, ſua ex parte, teſtimoniu͂, dantur igitur vtrique parti ad teſtes ſtatuendos ad quindenam induciæ.

Citandi ergo ſunt parte ex vtraq; pro vno & eode͂ Termino teſtes, perhibendi veri ac fidelis ſuper re co͂trouerſa, teſtimonij gratia.

Quibus pro termino conſtitutis, antequam examinentur, & proferant teſtimonia, patet campus vtrique parti contradicendi, & inhabilitatem obijciendi teſtibus.

Inpri-

Inprimis respectu annorum, si puer minor annis quatuordecem, in Ciuilibus, Criminalibus autem viginti, vel senex ætatis decrepitæ, ad testificandum statuatur.

Deinde Conditionis: Seruus etenim in rem & pro parte sui domini non potest ferre testimonium: Metus namque suspectum suum reddit, vel affectus erga dominum, testimonium.

Postea sexus ratione: Mulieres prout testimonio conuinci, ita testimonium dare nequeunt: Varium si quidem (iuxta illud Poeticum) & mutabile semper Femina.

Tandem discretionis: Mente laborantes, fatui, & furiosi, quia ratione carent, ad testimonium nullatenus admittuntur, admittiue possunt.

Porrò famæ respectu, infames, proscripti, excommunicati, periuri, publici, nefarij, latrones, homicidæ, pœnam capitalis noxæ redimentes, aut alia quauis turpi nota contaminati, prout in cætu, & numero proborum, locum, ita in Iudicio ius dicendi testimonij, habere nequeunt.

Præterea fortunæ intuitu, vilis, pauper, aleator, potator, qui facile corrumpi possunt, in

teſtes non admittuntur: Cæterum ratione fidei Iudæi, Hæretici, aduerſus Chriſtianum Catholicum, teſtari minimè poſſunt. Vinculo inſuper ſanguinis iunctorum, conſanguineorum & affinium amicitia ipſa, dubiũ facit teſtimonium, pro parte conſanguinei, & affinis prolatum.

Ætas, conditio, ſexus, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Jnhabilitatem his ac alijs ex rationibus teſti obijciens, eandem in inſtanti probare tenetur.

Numerus teſtium debet eſſe binus, ternuſue iuxta Sacram Scripturam, quæ dicit: *In ore duorum vel trium, ſtet omne teſtimonium,* idq́ue in Cauſis Ciuilibus. Nam in Criminalibus, vbi agitur de iactura honoris & capitis periculo & probationibus mortuæ manus requiruntur ſex teſtes vnius teſtimonio nemo conuinci poteſt: Vox enim vnius, vox nullius: Teſtes debent eſſe iurati, & ſuper punctis Citationis, ſeu propoſitionis, reiq́; ipſius quæ ex eorum atteſtatione inueſtigatur, probè, exactè, diligenter, per omnes circumſtantias ac ſingulariter examinandi.

Regu-

Regulare eſt, quot cum teſtibus reus conuentus ab actore conuinci intenditur, totidem cum teſtibus ſeu Compurgatoribus iuramento euadere poteſt, & præcipuè dubijs, perplexis, incertis, & diſcrepantibus teſtimonijs exiſtentibus, ibi Citatus propior eſt ad euadendum.

Altera probationis Species.

Confeſſata Citati libera, coram Iudicio tàm in Ciuilibus, quàm Criminalibus cauſis, facta, clara & aperta maximam vim habent argumenti, adeò vt vlterior probatio minimè requiratur, dum Citatus factum conſtanter fatetur, & non negat, vnde iuxta regulam Iuris, confeſſus in iure pro victo habetur, & vbi adeſt rei confeſſio, ibi non eſt neceſſaria actoris probatio, ex agnitione, & confeſſatis Citati proprijs, non iudex ſed ipſemet reus de ſeipſo ſententiam ferre videtur, & pro agnito facto pœnam demeritam luere, aut pro re debitoue controuerſo, ſine quauis cõtrouerſia, ſatisfacere tenetur.

Tertia probationis Species.

Documentis authenticis; Et hæc eſt certiſſima ac

ma ac veriſſima probatio: Vocanturq; literæ authenticæ, probatio vocis mortuæ: Exempli gratia, ſi agatur pro debito inſcripto, Actis authenticis contento, & deſuper proferatur quietatio authentica, officioſa, ex Actis ſimiliter authenticis deſumpta, fides datur procul omni dubio, & Citatus quietationem proferens liber pronunciatur, quo etenim pacto aliquid colligatur, eodem diſſoluitur: vnde certiſſimum elicitur, authentica inſcripta debita, nonniſi authenticis tolli poſſe quietationibus.

Similiter ſi quis agat pro occupata hereditate bonorum, & impetitus producat venditionem & reſignationem bonorum eorundẽ ſibi officiosè factam, creditur: Nam fides Actorum & Officij eſt inconuincibilis.

Vocanturque iſtius modi documenta authentica, Literæ ſeu inſtrumenta publica, dummodo fuerint ſana, ſalua, & omni ſuſpicionis nota carentia, Actis publicis congrua, Sigillo Officij communita, ac manu iurati Actorum illorum Notarij ſubſcripta.

Literæ porrò priuatæ, ſunt Chirographa & recognitiones, manu propria debitoris ſcriptæ, ſubſcriptæ, & ſigillatæ: Necnon pa-

ctorum

ctorum Conuentorum, duorum inter se contrahentium manibus subscriptæ, & obsignatæ literæ, quæ communiter dicuntur Intercisa.

Et hîc pro fide, & Credito, mutuo inter se rei & negotij alicuius ratione paciscentium, standum, & pactis conuentis satisfaciendũ est; fides enim interposita harum est materia, quæ est dictorum pactorumque Constantia, & Veritas.

Contra priuatas literas, seu Chirographum duplex est oppositio: Altera dum manus & sigillum inficiantur, quo nomine negante Citato suam esse singrapham, iurabit mettertius, quod sua non sit nec suum sigillum: alioquin si eam non abnegat sed agnoscit, & non probat apocham seu Chirographũ Creditoris, in quo ille debitum sibi esse solutum fatetur, satisfacere tenetur.

Altera autem, allegante conuento se debitum Chirographo assecuratum soluisse, verùm à Creditore illud esse retentũ, probabit conuentus seu Citatus, solutionem & Chirographi retentionem mettertius.

Quar-

Quarta Species probationis.

Deficientibus supra ſpecificatis probationibus, vel in earum defectu, præcipuè in Cauſis verbalium debitorum iniuriarumque ſimplicium, vltimum ſupereſt iuris beneficium, iuramentum.

In ijs itaq; omnibus actionibus, in quibus deſunt ſupradeſcriptæ ordinariæ probationes, propior eſt Citatus ad euadendum corporali iuramento, contenta propoſitionis, ſeu Citationis actoris.

Hîc notandum negante ſimpliciter Citato, nec ſe ad iuramentum trahente, teneri actorem aſſertionem & intentionem ſuam probare; alioquin reus, etſi non iurauerit, liber pronuntiabitur.

Poterit quoq; Citatus actori allegationis ſuæ defferre probationem iuratoriam, quàm nî actor præſtiterit, liberabitur illo ipſo facto à Cauſa Citatus. At quia Cauſæ ratione vulnerũ inter Ciues iure Polonico Terreſtri iudicentur, propiores ſunt ibi actores circa officioſas ſuas vulnerum obductiones, ad conuincendum, quàm Citati ad euadendum: Iuramentum indultum identi-

dem valet, ac si realiter, & in effectu sit præstitum.

Probatio contra iuramentum factum non admittitur.

Iuramentum Plenipotenti iniunctum principalis suus, & non Plenipotens exequi tenetur.

Iuramentum deffinito tempore non præstans condemnatur, nisi legitimo impedimento adiutus fuerit.

In Termino iuramēti ceu personali actu præcipuum currit legale impedimentum, infirmitatis, per nuncium importatum, & vel per nuncium illum, aut suum principalem iuramento confirmatum.

His itaq́; exceptionibus tàm dilatorijs, quàm peremptorijs, controuersijsq́; tàm in accessario, quàm in principali, vltro citroq́; factis, trutinatis probationibus examinatis, & ponderatis, siue Iudex in Causa deliberet, (quod sibi est integrum) siue non, sequitur in Causa iudicialiter agitata, Iudicis

Sententia:

Quæ nil aliud est nisi Decretum, quo vnus absoluitur, alter cōdemnatur, quæ est duplex: Interlo-

Interloquutoria quidem, ſuper exceptiones acceſſoriales antequam ad litis conteſtationem ventum fuerit, lata: Definitiua autem in principali negotio poſt omnia acceſſoria pronunciata, à qua & equidem ipſa deffinitiua, libera parti alterutri ad altius ſubſellium prouocatio, quæ vulgo dicitur

Appellatio:

Hæc iuxta iuris Ciuilis diſpoſitionem à Decreto oneroſo, actori quidem ſine quauis controuerſia, Citato interdum, hac lege & conditione, vt iuret ſe zelo iuſtitiæ appellare, eſt admittenda, qua ſtante in ea Cauſa nil eſt innouandum: A qua tamen ſententia in inſtanti, ſi non fuerit appellatum, tranſit in rem iudicatam, vnde ſi ſententia inferioris per Superiorem ſeu Supremum Iudicem fuerit in Termino appellationis approbata, & pro exequutione finali, ad illud idem Iudicium ſeu officium, vbi cepta eſt, remiſſa, ſiue etiam per appellationem non fuerit ſuſpenſa, immò pro rato & grato à partibus ſuſcepta, conſequitur.

Exequutio rei Iudicatæ.

Fruſtra etenim decreta ferrentur ſi debitum

non consequantur exequutionis effectum.

Modus exequutionis ratione debitorum inter articulos supra declaratus est, hic etiam ex re & occasione declaratur, & reassumitur talis.

Si debitor reus Conuentus, & ad solutionem debiti Contracti condemnatus, pecunia prompta parata, auro, argento, careat, ex tunc eo nomine quod pecunia parata, auroque & argento careat, iurare in instanti tenetur, post quod præstitum aut indultum iuramentum, petitur inprimis solutio ex mobilibus rebus debitoris, salua actoris optione & arbitrio, quas tantùm acceptare velit, præuia æstimatione officij valoris rerum, ab alto ad bassum, quibus connumerantur mouentia pecora videlicet pecudes, greges, & id genus alia.

Si autem mobilia, non sufficiant exoluendo debito, curritur ad immobilia, domos prædia, fundos, agros, prata, hortos, quæ officiosè taxantur, & Creditori seu Creditoribus si plures adsint, pro ratione prioritatis & potioritatis iuriũ ipsorum traduntur, & distribuuntur, à priori ad vltimum, quod sæpenumerò fieri solet post defun-

ctum,

ctum debitorem, qui viuus habita fide plurimum conflauit æris alieni, & post fata eius conuolant omnes Creditores, suum quisq; æs vindicaturus.

Quod si verò debitor careat re mobili, atque immobili, & pecunia, traditur ad Carceres iuxta Regulam Iuris, qui caret ære, puniatur corpore. Exequutio itaque extenditur primùm in bonis mobilibus, & immobilibus, deinde si ea deffuerint, vel non suppetierint, in persona debitoris.

Finita determinata & ad effectum finalem deducta lite extremum in iure occupant seu vendicant sibi locum.

Litis expensæ.

Victus victori iuxta generalem Iuris Regulam condemnatur in litis expensis.

Non tantùm actor iustam causam suam, seu rem controuersam, quæ sibi iusto iure debetur, per Iuris strepitum & ordinem lucratur, verum etiam post lucratam, impensas Iuris in vindicanda erogatas, pro quibus ad extremum seorsiua & speciali agi oportet actione, quod etiam plerumq; in ipsum vergit actorē, dum ab eo Citatus reus Con-

uentus & iniustè accusatus, pro se decreta retulerit, simpliciter & de plano causam euaserit, ab impetitioneq; actoris & à causa penitus absque iuramento, liber pronunciatus fuerit.

Soluendarum impensarum modus is est, in inferioribus quidem subsellijs, dum Causa ad Supremum non progreditur per appellationem subsellium, quod Actis notum est duntaxat soluitur, verùm damna, & exposita in vltimo subsellio liquidantur iuramento, & per Iudicium moderantur vel etiam ex benignitate & clementia Sacræ Maiestatis Regiæ supremi Iudicis compensantur.

Exposito breuiter & summariè processu Ciuili Iuris, norma quoq; Iudiciorum Specialiter contemplanda, & animaduertenda, Causarum præsertim in iure illo communium & vulgatarum, inter quas vsitatissima est causa debitorum ratione.

De Debitis.

Assecuratio soluendi debiti contracti fit potissimùm trifariam.

Aut inscriptione coram officio ad Acta publica, su-

ca, ſuper ſummam certam debiti veri ac liquidi, cum temporis & diei ſoluendæ ſpecificatione, nexuum, vinculorum, conditionum, ac ligamentorum appoſitione, à debitore perſonaliter conſtituto, Creditori ritè ac legitime facta & recognita.

Aut Chirographo, recognitione videlicet manuali, manu propria ſubſcripta & ſigillo obſignata, ad manus Creditoris tradita,

Aut verbaliter, verbotenus, bona fide, debito ſolui promiſſo,

Inſcriptum debitum citra quamuis controuerſiam, dilationes, exceptiones appellationes ſolui debet, nullaq; prorſus alia ratione & modo niſi aut ſatisfactione, ſolutioneq; reali, aut quietatione autentica officioſa ex Actis tranſſumpta, tollitur tolliuè poteſt, fide ſi quidem publica Officij (cui contradicere nefas) nititur.

Chirographarium debitum, quod videtur eſſe legis priuatæ, aut (vt ſupra expoſitum eſt) abnegatione manus appoſitæ, Sigilliq;, quod non ſint ſua propria, aut allegatione ſoluti, & recenti Chirographi reſoluitur, quam vtramq; aſſertionem ſuam Citatus mettertius iuramento liquidare tenetur,

quod si inficias manui non iuerit, nec solutionem allegârit, summam in Chirographo contentam soluere Creditori vel Chirographum exhibenti, omnino de Iure cogitur, & obligatur.

Contra verbale debitum ad negatiuam Citati procedunt Testes, sed Citatus tot cum testibus seu compurgatoribus, quotquot eos actor contra illum produxerit, iuramento euadere poterit.

Simpliciter ac nuditer actore pro debito agente, pari modo solusmet Citatus debitum obiectũ suo proprio iuramento diluit, vel actori quod in sua situm est potestate defert iuramentũ: Agnoscens coram Iudicio debitum, iure & merito ad id soluendum stringitur.

Debitorum autem solui iniunctorum & adiudicatorum decernitur solutio ex Decreto Officij, primo in duabus septimanis, (seu vnico verbo) in quindena, deinde in octaua, postea in triduo, tandem ad occasum solis: Ad extremum durante Iudicio, seu non recedendo à loco Iudicij: Iure verò hospitali decernitur solutio in triduo.

Modus solutionis sub titulo Exequutionis declaratus

claratus eſt ſupra: hîc quoq; pro ſuo loco reaſſumitur, quòd ſit inprimis præſtanda ſolutio ex mobilibus, tandem immobilibus, (hac conditione vt debitor inprimis iureiurando confirmet, ſe non habere aurum, argentum, & pecuniã paratam) quod ſi neutrum horum habeat conijcitur ad carceres.

Jn leuioribus debitis pignus datum, & ad Iudicium repoſitum liberat debitorem, quod nî ille terna vice præſentatum, exemerit, perit, & Creditori adiudicatur.

Debita à ſucceſſoribus demortui debitoris repetentem Creditorem, oportet metſeptimum tanquam poſt mortuam manum iuramento liquidare, quæ ad trigeſimum à morte debitoris computando diem, non ſunt repetenda. Taxa officioſa tàm mobilium, quàm immobilium in debito tradendarum (optione actoris in mobilibus ſalua) apprimè & de iure eſt neceſſaria.

Reliqua de debitis, in articulis & executione rei iudicatæ, videantur, & attendantur.

De Fideiuſſoribus:

Fideiuſſores debitoribus coniugati eſſe vi-

dentur, nam perſonam principalium ſuorum debitorum repræſentant, & in onera omnia eorum ſuccedunt.

Fideiuſſor vocatur, qui vas fit alterius, & alieno nomine obligatur, quia fide ſua iubet alteri pro quo ſpondet, credi.

Generalis Regula Iuris: aduerſus fideiuſſorem agere non licere, quamdiu principalis ſuus conueniri poterit: Etenim cum principalis ipſe debitor (ſi tanti fuerit) debitum exolverit, ipſo facto ceſſabit, & tolletur, cautio fideiuſſoria.

Fideiuſſoria duplex, Iuridica, & Extra iuridica:, Iuridica ſeu iudicialis dum aliqua perſona fideiubet pro aliquo in Iudicio, tàm in actionibus Ciuilibus, quàm Criminalibus, (quanquam Criminalis per interpoſitam fideiuſſoriam, & conceſſam cautionem efficitur Ciuilis) Grauior quippe fideiuſſoria in Ciuilibus, quàm Criminalibus: in his namq; fideiuſſor pœnam à principali ſuo demeritam tollerare non tenetur, verùm duntaxat verigeldum ſoluere, illis verò, omnia ſui principalis onera ferre tenetur.

Extraiuridica fideiuſſoria, quæ fit extra iudicium, cuius hæc eſt natura, quod fideiuſſor

tenetur

tenetur ad tantam summam, in defectu sui principalis, quantam fideiussit, obligari autem non potest, vt plus præstare debeat, quàm is, pro quo obligatur, debuit.

Fideiussor pro iuramẽto à principali præstando fideiubens, si interim ille moritur, aut iurare, iure repræsentatiuo, aut soluere ipse debitum tenetur.

Actionum porrò aliarum, tàm in rem quàm personam vergentium, realium, & personalium qualitas, in Codice legum Ciuiliũ continetur, hîc binam realem & personalem operæpræcium visum est subiungere, & percurrere. Et inprimis actionem.

De Successionibus iuris hereditarij.

Triplex est ex præscripto iuris Ciuilis, successionis gradus.

Vnus descendentium:
Alter ascendentium:
Tertius Collateralium.

Primus gradus descendentium à Patre & Matre immediatè succedunt liberi, sexus vtriusque Filij videlicet & Filiæ, quæ æqua lance tollunt post parentes per capita bonorum portionem hac lege & Conditione, si

stante

ſtante vita parentum reſpectu futuræ deuolutionis, filius filiauè aliquid tulerit, à parentibus pecuniæ, illud poſt fata parentum ad diuiſionem generalem cõmunem conferre, & comportare tenetur, nec aliter nî conferrat, ad participationem bonorum admittetur.

Non extante autem filia, ſiue filiabus, Geradam proxima agnata defunctæ matris, non extantibus verò filio, vel filijs. Arma bellica quæ vocantur *Hergeweth*, proximi cognati defuncti patris, tollunt.

In eo gradu Succeſſionis iure repræſentatiuo ſexus vtriuſq́ue nepotes, in perſona parentum ſuorum bonis auialibus gaudent, & gaudere debent, tantumq́; capiunt, quantum parentes eorum capere debuerunt.

Gradus itaq́; hic primus continet in ſe filium, filiam, nepotem, neptim, Pronepotem, proneptim, Abnepotem, abneptim, in ſingulari & plurali numero: De cætero dicuntur minores, poſteri.

Secundus Gradus Succeſſionis eſt aſcendentium, in quo continentur hæ perſonæ pater, mater, auus, auia, proauus, proauia, abauus, abauia. Abhinc dicuntur maiores; Progenitores. Deffi-

Defficientibus, descendentibus supramemoratis, succedunt ascendentes, inprimis immediatè pater quamuis sit superstes auus, in defectu patris, auus & alij Superiores.

Hîc notandum est post liberos sexus vtriusq; vel aliquem eorum post mortem paternam steriliter vita functos, aut functum omnem successionem in matrem eorum superstitem, vel auiam, veluti in sinum maternum deriuari. Similiter pariq́ue & æquali iure post mortem maternam defunctorum liberorum bona, in sinum paternum deuoluuntur.

Tertius Gradus in ordine est Collateralium. In deffectu itaq́ue descendentium & ascendentium, succedunt Collaterales, fratres sororesq́; germani steriliter defunctorum qui pari & æquali iure nullo sexus discrimine habito succedunt, in bona fraterna, primum integri fratres, & sorores, vno videlicet & eodem vtroq́ue parente prognati: In eorum autem deffectu etiam vterini, quos in Iure Ciuili vocant medios fratres, & medias sorores, admittuntur ad successionem.

Hîc obserua liberos defunctorum fratrum, sororum-

rorùmué, cum viuis fratribus & ſororibus vti nepotes & neptes ex fratre germano, participare debere tanquam poſt patruum, & amitam bonorum ſucceſſionem.

Poſt fratres & ſorores eorumq́; ſobolem ſuccedunt in gradu proximiores veluti patrui vel amitæ auunculi, materteræ & ab ijs deſcendentes.

A ſexu virili agnati: A muliebri cognati dicuntur.

In Generali notandum, primam in ſucceſſione eſſe deſcendentium prærogatiuam. Alteram aſcendentium, nec quicquam quouſq́ue deſcendentes & aſcendentes manifeſti appareant, Collateralibus tribui poſſe.

Deficiente gradu triplicis ſucceſſionis ſupra memorato, Maritus & Vir ſibi inuicem ſuccedunt.

Deficientibus his omnibus fiſcus eſt vltimus bonorum ſucceſſor & heres.

De verbis Conuitioſis, vulneribus, cæde, & alijs violentijs.

CAuſæ iſtiuſmodi ſunt perſonales, quarum Cauſa ratione iurgiorum, (quam vulgariter vo-

ter-vocant verborum inhonestorum) est in iure Ciuili admodum frequentatiua.

Rixæ, iurgia, verba contumeliosa, conuitiosa, ex contentionibus mutuis inter vicinos (vt fit) excitata, quæ ad Magistratum deferuntur, sopiuntur in iure Ciuili mutua deprecatione, præcipuè inter leues & tenuis fortunæ personas.

In grauioribus tamen obiectionibus, improperijs & verbis scurrilibus, quæ bonæ & incontaminatæ alicuius famæ, generi, & existimationi detrahunt, præcipuè cùm in facie Iudicij, seu in cursu alicuius Causæ temerè obijciuntur & non probantur, probarique non possunt, iuxta iuris regulam generalē. Diffamare caue, quia reuocare nó est suaue: decernitur pœna Reuocationis.

Hic notandum, quod si prouocatus ad iram dixit verba iniuriosa, non tenetur de verbis iniuriosis, quia talis magis repellit, quàm impellit. Non enim debeo seruare honorem illi, qui mihi vituperium facit.

Extra tamen Iudicium obiectorum verborum famosorum incusatus, negans, propior est ad euadendum, si simplex fuerit querela solusmet, si per testes cum totidem, quot con-

tra

tra illum statuuntur testibus, seu Compurgatoribus.

Post verba sequuntur verbera.

Ratione vulnerum in toto corpore iuris huius, non est grauior pœna (etiam pro ipso homicidio pro quo Ciuiliter agitur) nisi vnius Varigeldi cum mulcta iudiciali, solutio, & præcipuè pro vulneribus atrocibus, enormibus, mutilationem præseferentibus, pro vulneribus leuioribus, læso, leuius precium.

Verumenimuerò quandoquidem Ciues ratione vulnerum ad processum Iuris Terrestre sese refferant, ac circa obductiones officiosas probent vulnera, Iure & meritò Taxa vulnerum suorum quæ nunc Constitutionibus Regni prout & ipsius capitis aucta est in iure Terrestri maior aut similis esse debeat: Verigeldi namq; qui viginti florenis æstimatur, ad Centum Marcas taxati Iure Terrestri capitis subditi cæsi, nulla proportio, similiter ad taxam Terrestrem vulnerum Ciuilis taxæ, exigua comparatio.

Quanquam magis ex opinione & æquitate in iudicio Ciuili mutilatio opificis in manu, qua victum quæsiuit, pluris æstimetur.

Ratione cædium in Iure Ciuili dupliciter agitur,

tur, aut Criminaliter, aut Ciuiliter. Criminaliter quidem cùm homicida in manuali facto cædis recenter patrato, capitur, & ad ius recentis Criminis (quod *Gorace Práwo* vocatur) omniq́; tempore & die etiam feriato, & ſolenni inſtauratur, iudicandus ducitur, quod ad horas viginti quatuor, ab hora cædis patratæ durat, præteritis autem his horis, amplius homicidij non eſt Capitalis noxa, ſed duntaxat Verigeldo reus ſe abſoluit.

Attributa ſeu proprietates Iuris eius ipſius ſunt iſtæ, quod captus ad fideiuſſoriam Cautionem dari nequit. Terminus ſibi non prorogatur, nullæ ſibi ſuffragantur dilationes, ſed in inſtanti iudicatur, conuictus punitur. Deinde ſic deprehenſi negare factum non poſſunt. Actor enim propior eſt eos metſeptimus cõuincere: Ad extremũ quæcunq́; Sententia contra eos lata fuerit, eam increpare, ſiue ab ea appellare non poſſunt, & hæc eſt natura genuina iuris huius, quod ſummum & ſtrictum ius dicitur, inde traxiſſe originem & vocabulum videtur, quod quamuis ſit frigus intentiſſimum hyberni tẽporis ſupplicio tamen afficiendus vltimo,

miser & veræ deploratæ fortunæ, mirum in modum æstuet, & calescat.

Ciuiliter homidicij accusatus, & conuictus, vt supradictum est, Verigeldum tantùm ex præscripto iuris Ciuilis demeretur, cum mulcta seu emenda iudici debita.

De alijs violentijs Criminalibusque recentibus, idem censendum, & statuendum est.

Reliqua Articuli supplebunt, Codex legum Ciuilium idiomatis proprij & Latini, praxisque iuris Ciuilis antiquitus vsu recepta, & in hactenus obseruata docebunt: Hæc sit satis pro loco officij cui præsidemus, suiter & summariè recensuisse.

APPEN-

APPENDIX
Vocabulorum Iuris Ciuilium, deffinitionem complectens.

A

ACTIO nil aliud est, nisi Ius persequendi in iudicio quod tibi debetur.
Ciuilis pro aliqua re temporali, occasione damni illati, fundi, debiti, mutui, & id genus similium, inde dicta quod vterque tàm Actor quàm Citatus manent Ciues in querella, & post querellam.
Criminalis quæ pro Crimine expetit pœnam in corpore.

Actio iniuriarum, Actio in rem, Actio in personam.

Actionem intendere, instituere, dare alicui.

Actor qui agit vel pulsat alium, rem aliquam petens ab ipso in Iudicio.

Actor petitor, Actor Causarum.

Agere generale verbum ad omnia quæ fiunt, tam re, quàm verbis refertur.

Abusus, & vsus contraria sunt: Abusus ma-

lus vsus dicitur, & semper in malam partem accipitur: vtimur nostris rebus cum honore nostro, & vtilitate: Abutimur verò ipsis nimis licenter cum nostro incommodo & dedecore.

Abusiuè significat impropriè & contra naturam vsumque.

Adoptiui arrogati liberi: Adoptiuorum successio.

Apocha acceptilatio idem quod quietatio, Apocham dare id est quietationem, fateri se accepisse.

Appellatio in Iure Ciuili dicitur increpatio sententiæ, & est ab inferiore Iudice ad superiorem gradatim facta prouocatio: Appellare idem quod prouocare.

Arbiter vulgo compromissarius: Hinc compromissum facere descendit.

Arestatio, sequestratio, est interdictum Iudicis, ne res loco moueatur vsque ad decisionem causæ, persona autem impossessionata donec conquerenti respondeat.

Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem, & dicitur quasi arguens mentem, vel quasi argutè inuentum.

Arma bellica, res expeditoriæ necessariæ ad expe-

expeditionem bellicam, forensi Ciuili vocabulo dicta *Hergeweth*.

Arrha nummus vel nummi, qui dantur in principio contractus, vt certus firmusq́; habeatur, quæ dicitur etiam arrhabo.

Auxilium Iuris, est suffragium & beneficium Iuris.

B

BONA intelliguntur cuiusq́; quæ deducto ære alieno supersunt, dicuntur quod beent, vel beatum faciant.

Bona caduca seu vacantia dicuntur hereditatis iacentis, quæ nullum habent heredem, talia bona spectant ad fiscum. Hinc dicitur Ius caducum.

Bona mobilia & mouentia idem sunt.

Bona immobilia, bona fundi.

C

CAVSA idem quod actio, superior, inferior, perplexa, inuidiosa: Agere dicere causam: Indicta causa damnatus: Causam defendere, descendere in causam, ducere causam idem quod litem extendere, causam deserere, causa cadere.

Cautio, Chirographum, Cauere Chirographo.

Citatio, vocatio iuridica ad Iudicis conſpectum, à iure primæuo introducta: Adam in paradiſo prius vocatus fuit: Libello citare, præconio citare.

Controuerſia, idem quod cauſa: Controuerſiam dirimere, componere.

Contumacia eſt erga Iudicem commiſſa inobedientia: Pœnæ pro Contumacia, mulcta Iudici, Actori autem expenſarum ſolutio, pignoratio, intromiſſio, proſcriptio.

Calculus ſignificat computum, quia veteres computabant per lapillos qui calculi dicuntur, eo quod pedibus calcantur: Diem boni ſucceſſus numerabant lapide albo, mali autem nigro: Quandoque ponitur pro cognitione cauſæ, quandoque pro ſententia deffinitiua quia eo negotium calcatur, id eſt terminatur.

Calumniator eſt qui ſcienter alicui falſa crimina vel cauſam iniuſtam imponit, vexandi occaſione.

Cauillo & cauillor, idem quod calumnior.

Cauillatio eſt ſubdola ratio, quam vincendi cauſa proferimus.

Capitis

Capitis diminutio eſt prioris ſtatus commutatio, & ponitur hic caput pro ſtatu.

Maxima, cum aliquis amittit libertatem, quod contingit ijs, qui efficiuntur ſerui pœnæ, vel paſſi ſunt ſe venundari, vel reuocati ſunt in ſeruitutem, & taliter capite diminutus, perdit etiam per conſequentiam Ciuitatem, & familiam.

Media, cum aliquis perdit Ciuitatem, libertatem retinet, quòd accidit proſcripto.

Minima, cum libertas & Ciuitas retinetur, ſed ſtatus & familia tantum mutatur, quod accidit ei qui datus eſt in adoptionem, vel qui emancipatus eſt.

Cauſari, eſt cauſam rei geſtæ afferre, & excuſandi gratia afferre impedimenta.

Cedere bonis, eſt renunciare bonis vniuerſis, ob conflationem æris alieni, ad inſtantiam Creditorum, quando quis non eſt ſoluendo.

Contractus eſt vltro citroque facta obligatio.

Contumelia eſt iniuria, vituperium graue conuitium.

Crimen, exceſſus, delictum: In Crimen trahere, vocare.

Crimen objicere, Crimen capitale.

Commodare eſt alicuius rei vſum ad tempus concedere, res commodata deterior reddi non debet.

Creditor qui alienam fidem ſequitur mutuatam pecuniam numerando, dicitur ideò Creditor, quia credit debitori.

D

DEBITOR qui accipit pecuniam à Creditore vel intelligitur is, à quo inuito pecunia exigi poteſt.

Æs alienum id eſt debitum contrahere, conflare, ære alieno obrui, premi, ex ære alieno laborare, æs alienum diſſoluere, ex ære alieno exire.

Damnum eſt diminutio vel ademptio patrimonij dicitur à demo vel diminuo, quia demit vel diminuit patrimoniũ: tripliciter infertur aut voluntariè aut caſualiter, aut quadrupede ſeu pecude: ſi quis nõ ex voluntate ſed caſualiter & ex improuiſo fortuito homicidium fecerit, & id probauerit non punitur pæna homicidij, ſed minori.

Defunctoriè, perfunctoriè, idem ſonat, quod tranſitoriè, curſoriè.

Depoſi-

Depoſitum eſt quod alicui ad cuſtodiendum datum eſt, dictum ex eo, quod ponitur, præpoſitio deauget depoſitum, vt oſtendat totum fidei eius commiſſum quod ad cuſtodiam rei pertinet. Conſiſtit in rebus mobilibus & mouentibus eiuſq́ue natura eſt, vt ea res quæ accepta eſt ad cuſtodiendum & ſeruandum & non deterior reddatur.

Depoſitarius non tenetur de caſibus fortuitis. Sequeſter eſt apud quem plures rem controuerſam deponunt, dictus ab eo quod quaſi ſequenti committitur res: ſequeſtrum dicitur cum res aliqua inter plures in controuerſiam deducitur, & ipſi in ſolidum ea conditione tradunt, vt reddatur ei qui vincit.

Dies vulgo Terminus: diem alicui dicere, id eſt aſſignare terminum: Obire diem hoc eſt comparere dies exijt, aliâs expirauit: Diem producere, proferre, diffundere, eſt rem in craſtinum differre.

Dies faſti iudiciales, nefaſti feriarum.

Dilatio eſt temporis in cauſa prorogatio, dicta dilatio quia differt negotium.

Diploma Priuilegium principis: Diploma impetrare.

Diplomatica officina vulgò Cancellaria.

Diuortium est inter coniuges qui semel coniuncti legitimè diuortiantur, id est, separantur: Repudium est inter sponsos qui priùs legitimè coniuncti non sunt, & nunc à coniunctione abstinent: Promissiuè tamen accipiuntur.

Duellum dicitur duorum bellum, factum ad probationem veritatis, ita vt qui vicerit probasse credatur, & victus in probatione defecisse, & potest duellum in qualibet causa Criminali seu Capitali fieri.

Dicitur etiam duellum Monomachia, à Monos, quod Græcis vnum est, & Machia pugna, quasi pugna vnica & singularis.

Ducere in latumias, id est in carcerem, quia ibi latent incarcerati.

E

EDICERE præceptum facere, pronunciare, decernere.

Edictum Imperium, mandatum principis.

Edicto vetare, Edicto inhibere aliquid: edictum prætoris erat lex annua. Edicunt apparitores cum decreta denunciant.

Eiuratio vulgò resignatio, Eiurare idem quod

quod abdicare vt eiurare magistratum, item eiurare, iuramento se purgare vulgò dicitur.

Emenda pœna pecuniaria, quæ datur actori, Mulcta verò pœna pecuniaria quæ datur Iudici.

Euincere in iure Ciuili idem est quod varendare, cauere, satisdare: Item euincere rem, est probare esse suam.

Examen vniuersitas apum: Alias pro Iudicio accipitur.

Excubiæ diurnæ, & nocturnæ: vigiliæ tantummodo nocturnæ.

Exlex qui sine lege, vel extra legem viuit.

Expiatio, purgatio, mundatio.

Ex tempore dicere, ex tempore viuere, ex tempore agere, est ex improuiso impremeditate dicere, viuere, agere.

Extorris qui extra terram, hoc est patriam eiectus est.

Exul extra solum proprium positus.

Ex vinculis causam dicere, est allegatum respondere criminibus.

F

FAMILIÆ herciſcundæ, id eſt hereditatis diuidendæ, familia hoc in loco ponitur pro hereditate.
Herciſcundæ autem priſco vocabulo, hoc eſt cohercendæ ſeu diuidundæ, herciſcere eſt frequenter cohercere: Antiquus erat modus Comicorum loquendi regundorum pro regendorum, diuidundo pro diuidendo, ita herciſcundæ pro herciſcendæ.

Famoſi libelli, chartulæ, literæ diffamatoriæ, ſchedulæ detractoriæ: Earum ſcriptor, dictator, euulgator.

Fatalis dies ſecundùm leges eſt vnicus annus tantùm, intra quem debet appellans exequi appellationem, ſi iuſta cauſa non interceſſerit, ea enim intercedente, alius annus indulgetur, & erit ſecundus dies fatalis, quo tranſacto lite non completa, rata manet ſententia: Dictus autem eſt fatalis à fato, id eſt, morte quia in eo mors vel Terminus Cauſæ imponitur.
Dies is complectitur annum & ſex ſeptimanas, ac vnum diem.

Deſerta-

Desertata appellatio quæ non est prosequuta intra diem fatalem dicitur.

Ferendarius, Mandatarius, Aduocatus, Patronus, Causidicus idem qui Procurator, deffensor, & Plenipotens: Mandatum, Procuratorium, Plenipotentia.

Sindicus qui nomine Vniuersitatis, Collegij, & Communitatis agit in Iudicijs.

Feriæ triplices: solennes festa ab Ecclesia instituta: Repentinæ quas solus Princeps indicit, Rusticæ messis & vindemiarum.

Feudatarius qui feudum recipit, qui etiam Vasallus dicitur.

Fœnus dicitur naturalis fructus terræ, postea autem ad vsuram vox translata, quasi pecunia per se fructum producat sine terra.

Fides dicitur probatio, vt facio fidem per testes, instrumenta, argumenta: Item accipitur pro credulitate, vt habeo tibi fidem.

Fidefragus qui fidem frangit.

Fidei commissarius cuius per testamentum legata fidei committuntur, idem qui exequutor testamenti.

Flagitium propriè in libidine est, quasi flagris dignum crimen, sed pro cæteris quoque peccatis accipitur.

Formu-

Formula id est præscriptum est stylus : Formulam intendere, idem quod actionem dictare, vel dicam intendere, Formulam scribere idem : Formularum calentissimus practicus vulgò : Formularij qui cautores etiam dicuntur vulgò practici, notarij, conceptores.

Forum locus vbi consueuit reddi ius, & dicitur similitudinariè à foro publico vbi multitudo hominum conuenit, multas res inferens vel defferens, emendi vendendi causa, ita & forum dicitur in quod multitudo hominum influit, inducens causas, lites, & varias quæstiones cognoscendi & deffiniendi causa.

Forum competens dicitur Iudicium, in quo quis de iure legitimè debet conueniri: forum hîc accipitur pro iudicio.

Forum agere, ius dicere, Homo diu in foro versatus : Forensis causa, forensis scriptura, forensia vocabula, Forensium rerum imperitus.

Fortuitus casus cui per prouidentiam humanam prouideri non potest.

Fraus, dolus, fraus capitalis, fraudi esse, & fraudi futurum : Fraudem admittere, Impia fraude se obligare.

Fundus dotalis qui matrimonio contracto datus

datus eſt ſponſo: Fundus hypotecatus, id eſt obligatus.

Funditus, ex toto, penitus, vſque in fundo.

Furtum eſt contrectatio rei alienæ, inuito domino, dictum à furuo id eſt nigro quod clam & obſcure fit, & plerumque nocte, vel à fraude, vel à ferendo, ſibi enim affert, alijs aufert, qui furatur, & eſt duplex manifeſtum, & occultum: Manifeſtum cum fur in ipſo furto, vel loco furti deprehenditur. Occultum, cum fur in eo loco in quo furtum fecit, cum re furtiua non deprehenditur: Furti manifeſti pœna quadrupli, occulti verò dupli, ſi furtum minus trium ſolidorum commiſit, punitur in cute & carne, id eſt ad ſtatuam virgis cæditur, & auricula ſibi abſcinditur: ſi auriculam non habuerit per faciem cremari & inſigniri debet, ſi illud bis impreſſum habuerit, in exilium æuiternum mittitur.

Furtum facere furti manifeſti conuictus.

G

GERADA Parapharna, Vtenſilia, Mundus muliebris.

Genito-

Genitores dicuntur priores & maiores.

Generatione similis, id est paris conditionis qui patri similis est, similem autem generatione distinguit libertas, & seruitus.

Grassari propriè dicuntur latrones vias obsidentes.

Grassator, qui per vim, & insidias latrocinatur.

H

HYPPOTECA est res immobilis pignori obligata vt domus, ager, fundus, & in genere bona immobilia Creditori in debito tradita, vnde dicuntur bona hyppotecata, obligata, supposita;

Hyppotecare, obligare, pignorare, supponere. Pignus res mobilis in debito locata.

Hortilegium & sententia est decretum & decisio quam Iudex facit, per quam vnum absoluit, alium condemnat.

Heres qui succedit in vniuersũ ius defuncti.

Heres est dominus hereditatis.

Heredis appellatio non solùm ad proximũ heredem, sed etiam ad vlteriores heredes refertur.

fertur, ſignificanturque ſucceſſores, etſi verbis non ſint expreſſi.

Hereditas nihil aliud eſt niſi ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit.

Heres recta ſerie: A maioribus, à propinquo venit vel obuenit hereditas: Hereditatem adire, obire, cernere, heredem inſtituere, ſcribere, facere relinquere: Cohe-res exheres.

Hergeweth dicuntur arma bellica, ſeu id quod ad expeditionem bellicam ſpectat.

Hoſpes qui recipit, & qui recipitur.

Hoſtes hi ſunt qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decreuimus.

I

IACTVRA pro omni damno vel periculo ſumitur, propriè tamen damnum ſignificat, quod fit in exoneranda naue tempore tempeſtatis maximæ, euitando naufragium.

Jmponere idem quod decipere.

Jmpoſtores, qui alios verbis pollicentibus, incantationibusque ſeducunt & decipiunt.

Impoſtura, deceptio, dolus.

Impenſæ, expenſæ, impendium.

Infamia eſt ſtatus & honoris diminutio, & amiſſio.

Infamis quaſi ſine fama.

Inficiari vel inficias ire eſt verbo negare.

In integrum reſtituere, eſt reducere & redintegrare ad ſtatum priorem, vel ad ius prius vel ad audientiam.

In ius vocare, idem quod citare.

Iniuria generaliter dicitur omne, quod non iure fit: ſpecialiter dicitur contumelia à contemnendo, item damnum culpa datum: Iniquitatem quoque & iniuſtitiam iniuriam vocamus, quaſi non iuriam.

Infertur tribus modis aut re, cùm aliquis verberatus, cæſus & vulneribus afflictus fuerit, vel bona alicui ſunt adempta, occupata. Verbis quoties alicui conuitium lingua factũ fuerit, aut ſcriptis ſeu literis per libellũ famoſum, quem qui ediderit ſuo vel alterius nomine, vel etiam ſine nomine, & conuictus fuerit, iubetur ex lege eſſe inteſtabilis.

Atrox iniuria cognoſcitur tribus modis, ex facto, loco, & perſona.

Ex facto, ſi quis ab aliquo ſit fuſtibus acriter cæſus, vulneratus, magis deliquit, quàm ſi ſimpli-

ſimplicibus & leuibus vulneribus affecerit. Ex loco, veluti ſi in foro publico, Eccleſia iniuria ſit facta, vel etiam ex parte membri læſi, vt ſi quis in oculo vulneratus fuerit, maior iniuria quàm ſi in dorſum vulnerauerit eum. Ex perſona, veluti ſi Magiſtratui, eminẽti perſonæ, ab humili, domino à ſeruo, patrono à liberto iniuria facta ſit; nam ſecundum gradũ dignitatis vitæq́ue honeſtatem creſcit aut minuitur æſtimatio iniuriæ.

Inſtrumentum quod inſtruat mentem, Documentum quod doceat, Munimentum quod muniat producentem: eſt ſcriptura ad probationem alicuius rei facta.

Inſtrumentum duplex: Publicum: diciturq́ue authenticum ex actis vel archiuo publico prolatum: Priuatum per priuatam manum confectum, quod eſt Chirographum, Interciſa, Codex rationum.

Interdicere aqua & igni alicui, idem quod proſcribere.

Interrogatoria dicuntur quæſtiones propoſitæ ſuper negotij circumſtantijs, vt teſtes inquirantur, interrogentur de hora, loco, tempore, ſi ex auditu, vel viſu eis negotium notum eſt.

Iudex qui iudicat de causa, Iudex quasi ius dans vel dicens, vel à iustitia dictus, quia debet esse iustus, si enim in eo non est iustitia, non meretur dici iudex, scilicet iustus & bonus.

Misericors iudex dicitur, cùm facit ea quæ leges præcipiunt malos puniendo, iuxta demerita, sic enim exercet misericordiam legis.

Iudex integer, seuerus, tristis, verissimus, sapientissimus, sanctissimus : Iudex iniquus, sordidus : Iudex suus & legitimus, vulgò competens.

Iudicis fidem aut religionem attentare, hoc est muneribus velle corrumpere : Iudices cogere, sortiri, legere, seligere.

Ius summum, vulgò strictum, & extremum à Cicerone dictũ: summo iure agere & ad extrema iura desumere, æquo iure agere, vel ex æquo & bono disceptare; In ius vocare, ius vsurpare, suum ius persequi, ius suum obtinere: ius reddere alicui, de suo iure decidere, Ius dicere, hinc descendit Iurisdictio.

Inuentarium, conscriptio rerum in hereditate defuncti inuentarum.

Iudex bonorum vulgò Inuentarium, recognosce-

gnoſcere bona hereditatis, eſt conficere & conſcribere Inuentarium.

L

LATA culpa, eſt nimia negligentia cuius finis eſt non intelligere quod omnes benè intelligunt, non facere quod omnes vel maior pars faciant, vel id facere quod nulli vel pauci faciunt.

Lex eſt omne rationabile ſtatutum, ſeu regula iuſtorum & iniuſtorum, vel lex eſt conſtitutio ſcripta.

Legem condere, ſcribere, ponere, promulgare, in eadem ſignificatione.

Rogare idem eſt, & propriè pertinet ad legislatorem: Rogabat enim legiſlator, aut Magiſtratus populum, an id placeret, quod ſtatuerent.

Sancire legem, idem quod condere: Lege ſancitum eſt.

Nulla lege ſancitur, lege tamen naturæ ſancitum eſt.

Solon capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alterutrius partis eſſet: Hinc ſanctio, Capitali ſanctione ſancitum eſt.

Sciſcere legem idem, hinc ſcitum, & Plebiſcitum

ſcitum, quòd nulla authoritate patrum conſtitutum erat.

Legibus teneri, legem accipere, legibus ſolutus vulgô exemptus.

Promulgare legem, eſt eam condere, conditam recitare, pronunciare, proferre, prodere, patefacere, vel manifeſtare.

Derogatur legi cùm pars detrahitur: Abrogatur cùm prorſus tollitur.

Derogare legi, abrogare, figere, refigere legem.

Legiſlator qui legẽ tulit, idem qui legifer.

Lethale vulnus, id eſt mortiferum.

Libellus, libelli ſupplices.

Lis, litem intendere, inferre alicui, litem decidere, litem conteſtari, litem æſtimare alicui, litem in ſuum forum transferre, litem vrgere, litem ducere, trahere, litigare.

Lis ſopita, id eſt determinata.

M

MAGISTRATVM capere, gerere, inire, ingredi, Magiſtratu fungi.

Magiſtratu abire, Magiſtratu ſe abdicare, magiſtratum deponere.

Magi-

Magiſtratum abrogare alicui, Magiſtratu ſubmouere aliquem.

Manus inijcere, manus inijcere in equum, vel prædium vulgò areſtare aliquando idem, quod prehendere.

Manus adferre vel inferre alicui, manus ſibi inferre, id eſt mortem ſibi conſciſcere. Manus dare alicui, id eſt palmam: Manumittere, libertate donare: Manum conſerere, id eſt confligere, ex iure manum conſerere, pro ſibi vendicare.

Manumiſſio, donatio libertatis: Manumiſſus, qui ex manu, id eſt poteſtate domini dimittitur.

Manuale factum, cùm arma vibrata in manibus deprehenſi, quibus pacem fregerit, apparent, vel etiam dicitur, quando in facto recenti ſeu fuga facti quiſpiam apprehenditur.

Matrimonium eſt coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens: Appellatum eſt à matre, quia mulier nubit vt mater fiat, & quia onera, dolores, & pericula partus mulier ſubit, ideò potiùs à matre, quàm à patre matrimonium appellatur.

Mulctare, punire in pecunia, Mulcta pœna

pecuniaria, Item Mulctare agris, Mulctare exilio, Mulctare morte, Mulctam irrogare alicui, denunciare: Mulctam committere, in pœnam incidere, Mulctam deprecari, Mulctam remittere.

Mutuum dicitur quòd de meo sit tuum.

Mutui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensurauè constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia, auro, argento, ære.

N

NAVFRAGIVM, Nauis fractura, à naue & frango quod plerumq́ue naues frangantur, dum naufragium euenit: Naufragium in foro facere nil aliud, quàm Causæ iacturam facere, seu Causam amittere.

Nomen sæpè apud Ciceronem & Iureconsultos accipitur pro debitore, vel debito: Hinc pecunia quæ in nominibus est: Nomina idonea siue bona, Ancipitia nomina, Tarda nomina vulgò mala credita: Nomina facere, ad nomina respondere, nomen accipere alicuius pro fideiubere.

Nota accipitur plerumq́; pro ignominia & infamia, Notum inurere, Nota inuri, Notam subire, Notæ eximere.

Noxa appellatione noxæ duo ſignificantur. Primò pœna vt dedere noxæ, eſt dare ſeruum ad pœnam: Secundò delictum omne, & ita dicitur, noxa caput ſequitur, & delicta hominum cum capite ambulant, noxæ par pœna eſto, in noxa non compertus eſt.

Noxia damnum, maleficium.

O

OBLIGARE fidem ſuam, obligare ſacramento aliquem, vt milites: obligare ſe ſcelere: obligare aliquem religione, & obſtringere religione: obligare nexu.

Obligatio idem quod ſtipulatio, à ſtipulo quod veteres firmum dixêre, forte à ſtipite deſcendens dicta ſtipulatio: Stipulationes fiunt tribus modis: Pure veluti decem aureos dare ſpondes? Spondeo, idq́ue confeſtim peti poteſt: In diem cùm adijcitur certus dies quo pecunia ſoluenda, ſtatim quidem debetur, ſed peti priuſquam dies venerit non poteſt, ſub conditione cùm in aliquem caſum differtur obligatio, Conditionalis dicitur ſtipulatio.

Officium id quod facimus vt debemus pro

rerum, locorum, perſonarum exigentia: Secundo Officium accipitur pro beneficio ſeu obſequio: Tertio officium eſt functio magiſtratus vnde officiales dicuntur: Quartò Officium eſt quod quiſque debet præſtare.

P

PACTVM, pactio, contractus, conuentio, idem ſunt, à paciſcor, id eſt conuenio, contraho, pactum facio dicta.

Paciſci cum aliquo, paciſci vitam ab aliquo, ſic præmium paciſci ab aliquo, Pactionem facere cum aliquo, conficere, conflare: pactum ſeruare: manere in Conditione atque pacto, ſtare pacto, ex pacto.

Paragraphis prænotare dicitur, quod vulgo cruce notare.

Parentalia honores funebrales.

Parentare, parentibus iuſta celebrare.

Pecunia à pecoribus dicta, quia quicquid antiqui habebant, totum in pecoribus conſiſtebat, & omnes res tam ſoli, quàm mobiles appellatione pecuniæ continentur, nam qui hæc habet, pecuniam (dictante ratione) habet

Peculium, quicquid labore noſtro partum,

tum est, quandoque ponitur pro patrimonio, diciturque peculium idem quod proprium, seu quasi pusilla pecunia, siue patrimonium pusillum.

Pignus quod datur Creditori.

Pignora dicuntur liberi, quod sint pignora Coniugij aut charitatis, inter maritum & vxorem.

Placuit senatui, vnde placita idem quod decreta principum.

Postliminium, reuersio de captiuitate, vel exilio ad iura quæ amiserat: Postliminio redire.

Posthumus dicitur, qui post humationem, id est mortem patris nascitur.

Postulare idem quod accusare, Postulatus est de vi, Postulare ius, Postulationibus vacare.

Priuilegium, principis beneficium.

Priuilegium lex priuata, ad priuatam data vtilitatem, aliquid speciale indulgens: Reale quod alicui loco datur, & est perpetuum. Personale, quod alicui personæ confertur, sequitur personam, cùm persona extinguitur.

Proprium per nos acquisitum.

Pro-

Proprium hereditarium, hereditas ex morte aduoluta, admortua.

Pœna nomen generale, omnium delictorum còërceo & fit in corpore, & pecunia: Mulcta autem ſpeciale eſt, peccati alicuius animaduerſio pecuniaria.

Pax in iudicio fracta corpore punitur, verbo verò pecunia exoluitur.

Q

QVÆRERE iudicis proprium eſt, quod etiam quærere legibus dicitur. : Hinc quæſitor qui aliâs prætor & iudex quæſtionis vocatur: ſolebat ille ternas dare tabellas iudicibus. Abſolutionis cuius nota erat *A*, quam Cicero vocat literam ſalutarem : Condemnationis cuius nota fuit *C*, quam idem Cicero vocat literam triſtem, & ampliationis cuius nota *NL*, quâ ſignificabatur non liquere.

Quærere tormentis vnde quæſtio, poſtulare in quæſtionem, dare in quæſtionem.

Querela idem quod propoſitio : Perennis ſeu perpetua quæ ad heredem deuoluitur : Tranſitoria ſeu temporalis quæ cum perſona ceſſat : ex maleficijs pœnales actiones in heredem non deriuantur : Filius non portabit iniquitatem patris.

RATI-

R

RATIONES vulgò mediæ: Rationes petitoris, Rationes deffensoris, Rationes principes, Rationes subsidiariæ.

Rationes etiam significant calculum: Hinc tabulæ rationum, Rationem ponere, Rationem inire, subducere, putare, conficere, Rationem refferre ad ærarium, seu quæstores. Rationes expensorum in lites, putare, vel inire.

Recitare, de scripto dicere, literæ sunt in Senatu recitatæ, de scripto & è scripto recitare.

Reconuentio, vbi quis aliquem conuenerit, ibi licitè etiam reconueniatur.

Refferre in Acta, in literas, in rationes, refferre ad Senatum.

Refutare, refellere, refutare maledicta, Refutatio accusationis, in qua est depulsio criminis.

Res controuersa, adhibitis ijs ad quod ea res pertinet vulgò vocatis vocandis, trutinatur.

Res iudicata, rem iudicatam exequi.

Resignatio est iuridica bonorum venditorum immobilium traditio.

Reus inculpatus, reum facere, agere, citare,

tare, & in vel inter reos referre, reum peragere, de reis vel ex reis eximere.

S

SENTENTIA Iudicis, idem quod decretum, ferre ſententiam: Omnibus ſententijs abſolutus eſt: Rogare ſententiam, dicere ſententiam, in ſententiam alicuius ire.

Societas eſt duorum, pluriumué conuentio, honeſtè celebrata, ob commodiorem vſum & vberiorem quæſtum contracta.

Suffragium vox libera in creando magiſtratu, vel iudicando reo, erant autem ſuffragia apud Romanos aut vocalia, aut tabellaria, rem ſuffragijs permittere, ſuffragia inire, ferre.

T

TABVLÆ Codex rationum, Tabulæ accepti, Tabulæ expenſi, Tabulæ etiam pro inſtrumentis accipiuntur, Tabulæ autoritatis plenæ, Tabulas proferre, Tabularum infirmatio, Tabularium.

Teſtari in teſtimonium inuocare: Teſtor omnes Deos: Hoc vos teſtor Iudices: Aliquando idem quod teſtimonio eſſe, vel teſtimonium dare, idem teſtificare.

Teſtes graues, locupletes, idonei, religioſi, compertæ fidei: Teſtes deprehenſi, & æſtuantes conflati, & ſubornati: Teſtes proferre, dare, producere: Teſtes refutare, refellere: Teſtium fidem eleuare inceſſere, labefactare, infirmare; Teſtes refrigerare.

Teſtimonium graue, firmiſſimum; ſanctiſſimum: Teſtimonia quæ inter ſe confligunt & colliduntur: Teſtimonia ſeſe reffelentia: Teſtimonia contraria.

Teſtimonium eiurare, vt ſi quis iuret ſe non præſentem fuiſſe, aut ignorare id de quo teſtes interrogantur.

Teſtimonium tribuere, vel impertiri, pro teſtimonio dicere.

Teſtamentum facere, componere, obſignare, Teſtamentum nuncupare, id quod milites in acie ſtantes facere ſolebant: Teſtamenta ſupponere, vel ſubijcere.

Tranſactio, Concordia, Compoſitio, reconciliatio inter aduerſarios, quaſi actionis in amicitiam, ſeu amicabilem compoſitionem tranſitio.

Tutella eſt ius, atq; poteſtas in capite libero conſtituta, ad tuendum eum, qui propter ætatem ſeſe deffendere nequit.

Tuto

Tutores quaſi tuitores, & defenſores.

Ab inteſtato ſine teſtamento, inteſtato paterfamilias mortuus eſt.

V

VAS vadis, ſponſor alterius in capitis periculo vindicare, primò ſignificat punire, aliquando idem eſt quod aſſerere, & à vi ac iniuria quempiam defendere, aut liberare.

Vſura quicquid vltra ſortẽ accipitur, & dicitur vſura quia vſus rei venditur, & pro nudo vſu aliquid recipitur.

Vſusfructus eſt ius alienis rebus vtendi, fruendi, ſalua rerum ſubſtantia.

Vſucapio idem quod præſcriptio, hæc tamen propriè immmobilium, illa mobilium.

Verigeldus in iure Ciuili dicitur recompenſa, ſeu ſatisfactio, quæ fit parti læſæ pro aliquo exceſſu.

Vadimonium eſt ſponſio die certo ſe in Iudicio vel per ſe, vel per aduocatum futurum.

Venia, remiſſio culpæ: Jtem indulgentia, vt cum venia ſit dictum.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029429

Regula
Juris